Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Gottfried Werner

M. Daniel. Godofredi Werneri Colleg. Groening. Rect. Et Profess. Regii Meditationes Sacrae Ad Excitandam Fidem Et Formandam Piam Vitam : Iam Ante Pvblice Propositae Nvnc In Vnvm Collectae Accedit De Messia Capvt Obnvbente Dissertatio

Stargardiae: Typis Ioannis Tilleri, MDCCXXXIV

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Im 4050.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1855317494/phys_0003
DFG

M. DANIEL. GODOFREDI WERNERI
COLLEG. GROENING. RECT. ET PROFESS. REGII

MEDITATIONES SACRAE

AD EXCITANDAM FIDEM ET FORMANDAM PIAM VITAM

IAM ANTE PVBLICE PROPOSITAE

NVNC
IN VNVM COLLECTAE

ACCEDIT

DE MESSIA CAPVT OBNVBENTE
DISSERTATIO.

STARGARDIAE
TYPIS IOANNIS TILLERI TYPOGR. REG.
MDCCXXXIV.

Im-4050.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO SAMVELI DE COCCEII

POTENTISSIMI PRVSSORVM
REGIS IN SANCTIORE CONSILIO
ADMINISTRO SVPREMI TRIBVNALIS
AC CONSISTORII PRAESIDI RERVM
ECCLESIASTICARVM AC FEV-
DALIVM DIRECTORI
ATQVE
ACADEMIARVM CVRATORI
SVPREMO
DOMINO SVO GRATIO-
SISSIMO.

OMNI ANIMI SVBMISSIONE
OFFERT
DANIEL GODOFREDVS WERNER.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1855317494/phys_0007
DFG

ILLVSTRISSIME
ATQVE
EXCELLENTISSIME DOMINE

DOMINE GRATIOSISSIME.

Cum nuper Stargardiam nostram transfires, primus quidem ad gratiam TVAM mihi aditus patuit: cum vero TE cinctum viderem

derem ab iis, quibus ex regia auctoritate ordinatam iustitiam commendabas et, tam sanctum negotium interpellare, religioni mihi ducerem: paucis TIBI me reuerentiam praestitisse satis habebam. Exoptaui interea, vt propior mei notitia in peculiaris gratiae TVAE praesidium me adduceret. Quare ausus sum meditationes hasce sacras, ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO inscriptas, ea, qua fas est, animi submissione offerre. Cuius rei fiduciam iniecit mihi et insignis TVA humanitas et gemina, quae in TE sita est, salutis nostrae spes et robur. Primum enim Pomerania nostra TE iustitiae, quae felicitatis rerumpublicarum firmamentum est, suum instauratorem, suum ordinatorem, colit et veneratur: deinde, qua or-

bis imperii POTENTISSIMI ET LONGE CLEMENTISSIMI REGIS NOSTRI patet, academiae omnes TE ſupremum ſuum curatorem, vt muſae ſuum praeſidem, diligentiſſime obſeruant. Ex hoc confido, TE academiarum etiam ſeminaria beneuole reſpecturum, in quorum numero collegium noſtrum Groeningianum eſt: ex illo, noſtris quoque muſis, dum affliguntur, iuſtitiam adminiſtratum iri: ex vtroque, ſub vmbra gratiae TVAE me, qui peregrinus ante ſexennium in has terras, ſic prouidente Numine diuino, vocatus ſum, ab inuidorum et maleuolorum hominum iniuriis, calumniis, inſidiis, machinis tutiſſimum fore.

Neque dubito, TE paucas plagulas haſce, licet tenues et vix ſummi viri perſona dignas, eo benigniori-

bus

bus oculis esse intuiturum, quia comprehendunt quaedam de religionis veritate, cuius TIBI semper antiquissima cura fuit.

Annue itaque, GRATIOSISSIME DOMINE, votis meis et sine minimam certe clientum TVORVM me portionem esse, quo apud TE confugium et portum salutis inuenire mihi liceat. Cum nihil aliud potero; pro TVA et ILLVSTRISSIMAE FAMILIAE TVAE incolumitate perpetua Deo ter optimo maximo supplicare non desinam. Vale et diu quam felicissime age. Scribebam Stargardiae Pomeranorum Prid. Id. Augusti A. R. S. MDCCXXXIV.

Le-

Lectori beneuolo.

S. P.

EX quo ad moderationem tam collegii Groeningiani quam scholae huc vocatus sum: nil mihi prius nil antiquius fuit, quam, vt traditam mihi iuuentutem non minus ad veram pietatem quam ad solidioris doctrinae fundamenta imbuerem. Et, vt collegium praesertim aeque re et merito spectabile, ac priuilegio et nomine illustre, redderetur, inter alia scripta publica, singulis diebus festis maioribus, summa diuinae misericordiae beneficia ciuibus nostris et ad firmandam fidem et ad formandam piam vitam, programmate, vt vocant, publice affixo, commendare coepi. Inde natae sunt meae meditationes sacrae, quas continuaui per tres annos, quamdiu sumtus impressionis publice suppeditabantur. Quibus vero, nescio an ex aliqua maleuolentia, post denegatis cum annuum meum salarium subsistere non posset: res tota intermissa iacuit. Obsecutus denique iis, qui aliquod hisce studiis pretium statuunt, nouem istas meditationes, quas per triennium publice proposui, collegi in hunc fasciculum, et, vt numerus denarius suppleretur, eam interserui, quam in aca-

academia Ienensi, nomine et iussu praeceptoris et tum hospitis mei summe venerandi, celeberrimi theologi et philologi, IOHANN. ANDREAE DANZII, iam inter coelites triumphantis, conscripsi a. MDCCXXII. festo pentecostes publica auctoritate edictam. Subiunxi demum, de *Messia caput obnubente*, dissertationem. Quae omnia si B. L. placeant, erit, quod mihi exoptatum obtinget. Neque cunctabor, *dissertationes* meas *academicas* easque potissimum, quas de *Eleemosynis ebraeorum* publicare coeperam, suppletas et auctas in nouum fasciculum colligere atque in lucem et aspectum proferre. Si quae praeter opinionem hic irrepserint mendae, vt pag. 62. *quaere*, pro *quaerere* pag. 63. σσεῦος pro σκεῦος, pag. 88. כרוח pro ברוח p. 89. יהוח pro יהוה, eas facile quisque humaniter excusabit et amice corriget. Supereſt, vt B. L. omnem salutem apprecer, meque fauori atque amori illius commendem. Dabam Stargardiae Pomeranorum III. Id. Augusti, MDCCXXXIV.

Series

Series meditationum.

I. De Ortu ex altitudine. Luc. I. 78.

II. De Habitatione verbi Dei, quod caro factum inter homines, prior.

III. De eadem, posterior.

IV. De Messia è morte ad vitam ineffabilem assumto. Ies. LIII. 8.

V. Paulus testis oculatus Iesu e mortuis suscitati. 2. Cor. XV. 8.

VI. Christum è mortuus tertio die suscitatum sistens ex Hos. VI. 2.

VII. De Spiritu ardente. Ies. IV. 4.

VIII. De rore coelesti. Hos. XIV. 6.

IX. Falsam iudaeorum opinionem de Spiritu S. expendens et reiiciens.

X. De sacro vnctionis oleo typo donorum Spiritus sancti, vbi simul de ratione typos allegandi et inuestigandi breuiter disseritur.

MEDI-

MEDITATIO I.
DE
ORTV EX ALTITVDINE
Luc. I, 78.

Sacharias, Iohannis, phosphori solem iustitiae antegressi, parens, postquam diuina sorte de propinqua gentium salute in admirationem abreptus, aliquandiu obmutuerat: nixu demum atque impetu Spiritus Sancti, quo impletus erat, nodum linguae rupit, effusus in laude atque celebratione immensae diuini numinis misericordiae, qua *ortus* apparuit *ex altitudine*.

Quamuis quot verba, tot pondera insint toti himno; mihi tamen iam potissimum pensitanda videntur ea, quae vltimo loco posita, causae arcem constituunt. Vndenam visitauit Deus populum suum ex infinita clementia et visitatum redemit? vndenam cornu salutis, quo in domo Dauidis serui sui erecto, promissa et iusiurandum praestitit? Quinam altissimus, cuius

vates, quinam Dominus, cuius praecursor et praeco futurus esset puerulus Iohannes? ex altitudine visitatio, redemtio, salus, ipse Deus, adsumta humana natura, descendit, cuius, tanquam solis, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *ortus ex alto*, largissimum lumen in Sachariae mentem sparserat, vt vbertate gaudii exultans in cantum et laudem erumperet.

Ad scripturas veteris testamenti eum quidam respexisse putant, vbi Messias צֶמַח *germen* appellatus; quorum princeps fuit IOHANNES LIGTFOOTVS. Neque inficiandum, alexandrinos interpretes צֶמַח, *germen*, transtulisse, ἀνατολὴ, et ἀνατέλλειν, *oriri*, adhibuisse, vbi in ebraeo textu verbum צָמַח, quod *germinare* significat, inuenitur: sed ἐξ ὕψους, *ex altitudine*, non conuenit in germen, quod è terra nascitur. Si vel maxime haud inusitatum sit, terrena γεννήματα coelestibus corporibus tribui et tam stellas, *flores aethereos*, quam vicissim flores, *terrestria sidera*, vocari: non magis tamen ibi צֶמַח, *germen*, quidquam inclusum continet, quod nos ad siderum cogitationem deducat; quam hic ἀνατολὴ, *ortus*, simul speciem progerminantis surculi comprehendit. Nam *apparere iis, qui in tenebris et vmbra mortis positi sunt*, solis tantum est, qui, depulsa nocte, eos, quos anxium lucis desiderium tenuit, radiis suis exhilarat.

Ne-

Neque aliis assensum praebere possum, qui Sachariam Michae effatum indigitasse autumant, alloquentis (a) Bethlehemum, *ex te mihi prodibit futurus dominator in Israële,* וּמוֹצָאֹתָיו, *cuius exortus inde à principio, à diebus seculi, sunt.* Nam diuinus vates Messiae diuinitatem ex aeterna eius eaque propria generatione asserit, sine vlla translatione à sole petita, quae maxime in Sachariae verbis enitet.

Equidem non video, quare tantopere inuestigare velimus, quo alluserit Iohannis pater, qui ex ejusdem Spiritus Sancti adflatu, quo pristini vates, pro suorum temporum conditione, de aduentu Christi locutus est: si tamen eadem, qua veteres, vsus sit formula, eam potius cum scripturis contendere velim, vbi *lux magna*, vti apud Iesaiam, (b) qui, *populus*, inquit, *ambulans in tenebris vidit* אוֹר גָּדוֹל *lucem magnam, incolis terrae vmbrae mortis* אוֹר *lux splenduit;* et *Sol*, prouti à Malachia (c) שֶׁמֶשׁ צְדָקָה *Sol iustitiae*, vocatur. Et, si, quod res est, dixero, mallem Sachariana verba tantum cum Iesaianis conferre, inter quae maxima similitudo intercedit; praesertim si considéremus, lucem illam magnam non minus apparere populo in

(a) cap. V. 1.
(b) cap. IX. 2.
(c) cap. IV. 2.

tenebris ambulanti, et splendere incolis terrae vmbrae mortis; quam ortum ex altitudine iis, qui in tenebris et vmbra mortis positi sunt. Neque dubitandum, *lucem magnam*, cum qua Christus componitur, non esse aliam, quam solem, qui in ipsa creatione vna cum luna הַמָּאוֹר הַגָּדוֹל *lumen magnum* appellatur; quam vero tantum magnitudine superat, quantum illa micat inter stellas minores. Sicuti ergo sol radiis suis vniuersum mundum illustrat: ita Christus, φῶς τὸ ἀληθινόν, dicitur, *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum*, (d) et se ipsum τὸ φῶς τῦ κόσμυ, *lucem mundi*, (e) vocauit. Sic Iohannes, discipulus Iesu, principio historiae magistri sui, qua nobis sanctam eius imaginem non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum expressam reliquit: sic Christus ipse post aduentum suum et inaugurationem publicam ad munus docendi, cum iam multa dies esset, loquebatur; Sacharias vero, cum summum mane adhuc esset, splendente stella diei praenuntia et prima surgente aurora, rem, vt tum erat, enuntiauit.

Nam cum nocte et die adaequandum est veteris et noui testamenti tempus.

Nox

(d) Ioh. I, 9. (e) Ioh. VIII. 12. Cap. IX. 5.

Nox incipiebat statim à perdito lumine, quod primis parentibus in statu integritatis splenduerat. Iam inde coepit prima noctis vigilia. Celebris quidem Bremensium theologus, CONRADVS IKENIVS, elegantissima, quam de *excubiis patrum exspectantium mane noui testamenti* publicauit, dissertatione, (f) principium ternarum vigiliarum, in quas veteres Ebraei noctem diuiserunt, (g) ponit in promulgatione legis latae, ad montem Sinai facta: cuius rei rationem petit ex Psalmo CXXX. 6. ad quem commentatur. Vbi Spiritum Sanctum non frustra denominatione τῶν שֹׁמְרִים *excubitorum*, ad sacerdotes et leuitas respexisse, obseruauit, (h) quia in implemento rei veritatem inuestigaturi, facile eam in fidelibus ex tribu Leui oriundis deprehenderent. Qua de re ipsi scrupulos pertinaciter iniicere nolo: veruntamen, cum, exactis è paradiso primis humani generis auctoribus, statim nox ingrueret, et in primo euangelio spes facta

(f) Quae prodiit Bremae 1724. (g) Noctis diuisionem in tres vigilias apud veteres Ebraeos vsitatam defendi in diatr. *Gallus gallinaceus, vigil Petri monitor, ex veterum auctoritate pristinae formae restitutus, et à IOH. GEORG. ALTMANNI, μεταμορφώσει, vindicatus*, Ienae 1723. et 24. Sect. 1. §. 17. sqq. quae, si lubet, conferri possunt.

(h) laud. diss. sect. 3. §. 4.

esset redeuntis diei, non sacerdotibus tantum, non leuitis, sed etiam omnibus hominibus: mallem primam vigiliam ab egressu Adami è paradiso inchoari, et Iacobi circiter ingressu in Aegyptum finiri. Vbi primi excubitores essent patres sancti, qui ante diluuium totius mundi et post illud vixerunt. Quandoquidem illorum spem et desiderium aduenientis diei, qui iam longe aberat, exhibuit celeberrimus THEODORVS HASAEVS, itidem Bremensium Theologus, in *fidei patriarchalis ὑποτυπώσει*, quam ex *Oraculo Lamechi* in sua de eo dissertatione (i) doctissima, eruit; horum vero princeps Abrahamus valde exultabat diem Christi visurus. (k)

Secunda vigilia à migratione familiae Israelis, decurrit ad posteriores annos regni Dauidis. Vbi media nox incidit, quae sub iugo legis erat, haud pridem promulgatae.

Tum propior affulsit spes aduentantis lucis in tertia vigilia. Erant *gallicinia:* clariore voce vates diuini praenunciabant diem. Erat *conticinium:* diuinorum oraculorum silentium, quod incipiebat à tempore, quo Malachias esse desierat. Erat *obscurum mane*, tempestatibus Hasmonaeorum;

(i) edita specimine theologici loco, Brem. 1712. cap. 3.

(k) Ioh. VIII. 56.

rum; licet, vti ſtellae in crepuſculo micant, ita ne iam quidem teſtes deeſſent veritatis. Deinceps Iohannes, vt *lucifer* clarior nitidos in aethere vultus produxit et diem ore laeto nunciauit, ſimulque *prima aurorae* illuxit, cuius fulgore Sacharias illuſtrabatur.

Vti enim aduentantem auroram vocabant Ebraei עמוד השחר, *columnam aurorae*, quia, quando primum ad ſenſibilis horizontis extremitates, vbi coelum inſtar fornicis depreſſi apparet, pertingit, ſpeciem columnae refert, quae terrae innitatur et coelum ſuffulciat: (1) ita ipſe coelum et terram, Deum et homines, vnitate inter diuinam humanamque naturam in Mariae filio facta, coniunctos multo clarius multoque propius intuebatur, quam in prima vigilia Iacobus, qui per ſomnium ſcalam vno extremo terram, altero coelum tangentem viderat.

Quae cum ita ſint, Sachariam ea extuliſſe cognoſcimus, quae vere in tempora ipſius accidebant, et per ortum innuiſſe inſtantem natiuitatem Ieſu, qui verus ſol iuſtitiae, cuius deſiderio et expectatione veteris teſtamenti fideles excruciati, accuſauerant longitudinem noctis et anxia vo-

(1) vide ſi placet, diſſert. noſtram ſupra addu-ctam, ſect. II. §. 2. not. e.

ta pro salute ventura è Sione nuncupauerant. Quo tristior nox, eo laetior erat dies. Effulsit enim sol oriens iis, qui *in tenebris et vmbra mortis sedebant.*

Quae, quamuis Iesaias in vaticinio et Matthaeus in euentus expositione ad terram Sabulonis et Naphthali tractusque confines retulisse videantur: quia Christus eas regiones verbis factisque suis, statim à coepto docendi munere, illustrauit: nil tamen obstat, quominus et omnis Iudaea et ceterae demum gentes tantae lucis participes factae essent. De illa certe Sacharias confirmat, *vt dirigat*, inquiens, *pedes NOSTROS* in viam pacis; de his vero ex eo patet, quod non in media terra Israëlis, sed in confinio gentium tam infinita lux oriebatur, quae non magis ortus sui finibus contineri poterat, quam orientalibus regionibus radii solis definiuntur. Erant itaque, quibus apparebat ortus ex alto, et Iudaei, et, quae extra horum societatem coniunctionemque constitutae sunt, gentes, quarum omnium pedes dirigi debebant in viam pacis.

Vobis etiam, ciues carissimi, aurora oritur, imo, postquam plurima secula iam Deus in humana natura manifestatus est, cuius memoriam pie recolimus, multo illu-

illustrior splendet solis candor, qualis esse solet in ipso meridie. Agite, illuminanimi, nam vestra lux aduentauit, super vos orta est gloria Iehouae. (m) Dispellite, virtute altissimi, tenebras, errores, ignorantiam, vitia: sapientiae, quae ex alto descendit, domum et sedem consecrate animum vestrum: excitamini è somno, torporem excutite, vt sol iustitiae vos radiis suis collustret. (n) Gratias agite Deo misericordi, cuius immenso beneficio non è longinquo videtis lucem, sub obscuris imaginibus et vmbris occultam; sed eam nacti estis felicitatem temporum, qua in luce versamini. Nisi Domini vestri natalem ita celebretis, nulla vobis erit aurora. P. P. Stargardiae ad Ihnam I. Feria Natal. Christi, clɔlɔccxxviii.

(m) Ies. LX. 1. (n) Ephes. V. 14.

MEDITATIO II.
DE
HABITATIONE VERBI DEI
QVOD CARO FACTVM INTER HOMINES
PRIOR.

Pie celebramus iam, ciues carissimi, memoriam beneficii omni ratione atque oratione maioris, quo filius Dei ad homines venit, assumta eorum na-

tura, vt restitueret pacem cum Deo et redderet salutem, quam in primo suo patre, Adamo, amiserant. Aduenit quidem tempore impleto, quod Deus ex immensa sua sapientia praestituerat, et habitauit inter homines ipse, habitaculum diuinae gloriae et maiestatis, Iohanne, vitae Christi scriptore, teste oculato: (a) *Et verbum caro factum, et habitauit inter nos, (cuius vidimus gloriam, tanquam gloriam vnigeniti à patre) plenum gratiae et veritatis:* sed huius aduentus fine et habitationis fructu nec veteres exciderunt, qui ante vixerunt: nec, qui post ea tempora, quibus inter homines egit, extiterunt, et adhuc futuri sunt. Est enim *vnus mediator inter Deum et homines*, (b) *vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum;* (c) neque *in ullo alio salus est, neque aliud nomen inter homines datum, quo debeant seruari.* (d) Est communis omnium Adami posterorum redemtor; quemadmodum enim *per unius lapsum mors regnat in omnes homines ad condemnationem: ita per unius*, Iesu Nazareni, *iustitiam gratia regnat in omnes homines ad iustificationem vitae.* (e) *Est agnus Dei ferens peccata mundi*, (f) *sine ulla labe et macula*

(a) Ioh. I. 14. (b) 1. Tim. II. 5. (c) 1. Cor. VIII. 6. (d) Act. IV. 12. (e) Rom. V. 18. (f) Ioh. I. 29.

cula, prouisus ante fundamenta mundi, manifestatus in vltimis temporibus. (g) Neque tamen plane incognitus fuit iis, qui sub antiquo foedere vixerunt; quomodo enim *credidissent in eum, quem nesciuerint?* (h) Ratio tantummodo cognitionis diuersa erat. Quem enim veteres sub vmbris et imaginibus è longinquo cognoscebant; illum sub nouo foedere agentes, tanquam praesentem, in clariore luce intuiti sunt. Habitauit itaque etiam inter homines veteris testamenti; sed sub tegminibus, sub inuolucris. Ipsum tabernaculum, quod Moses iussu Dei inter Ebraeos struxit atque erexit, erat imago gratiosae habitationis filii Dei inter homines. Ibi enim *cognosci filiis Israelis, vt sancti reddantur per gloriam suam; in medio eorum habitare, et Deus ipsis esse volebat.* (i) Per *gloriam domini, Maiestas* illa eius, externo aliquo signo *conspicua*, intelligitur: quod erat in monte Sinai *ignis* densissima obuelatus caligine, (k) et in tabernaculo primitus erecto *nubes*, (l) quae et inter cherubinos commoranda promittitur. (m) Non tamen gloria Domini fuit *nubes*; sed res similis *igni*, ratione luminis

(g) 1. Petr. I. 19. (h) Rom. X. 14. (i) Exod. XXIX. 43. 44. (k) Exod. XIX. 8. XX, 18. (l) Exod. LX. 34. (m) Leuit. XVI. 2. conf. m. Num. VII. 89. cum c. XVII. 7. 8. Deuter. XXX. 15. 16.

minis et splendoris sui: nubes autem circa eum fuit, vti fumus semper est circa ignem, et, quemadmodum lampades ignitae apparent de medio nubium densarum: ita fuit gloria Domini similis igni, in medio nubis et caliginis densissimae. Sicuti apposite comprehendit ex *Abrabbanele*, summus quondam philologus pariter et theologus Ienensis, IO. ANDREAS DANZIVS. (n) Quid vero aliud fuit gloria Domini inter Israëlitas conspicua, quam simulacrum *verbi Dei incarnati* seu Christi θεανθρώπου inter homines habitantis? Deus enim habitat *lucem inaccessam, quem vidit nemo hominum, nemo videre potest.* (p) In Christo vero inhabitat *omnis plenitudo diuinitatis* σωματικῶς. (q) Quocirca iubar *gloriae et character substantiae Dei* vocatur. (r) Nubes itaque, quae obuelabat ignem, splendidum maiestatis diuinae signum, humanam Christi naturam praefigurabat; qua indutus nobis accessum ad Patrem aperuit, et contemplandam exhibuit immensam Dei misericordiam et veritatem. Quapropter *Iohannes*, postquam dixit, verbum, quod Deus erat, carnem factum esse, et commoratum inter homines, addit, *intue-*

(n) In de *inauguratione Christi haud obscurioris mosaica.* §. 50. p. 180.

(p) 1. Tim. VI. 16. (q) Col. II. 9. (r) Ebr. I. 3.

tuebamur eius gloriam, vt vnigeniti à Patre. (s) Et paulo post: *gratia et veritas per Iesum Christum praestita est: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ille nobis exposuit.* (t) Lux itaque diuinam; nubes humanam naturam innuebat; cuius vtriusque indissolubilis vnio in vno Christo indicabatur, quod nec lux sine densitate nubis; nec haec sine illa fuerit.

Non solum quidem in historia tabernaculi, sed etiam alibi mentio iniicitur gloriae Dei, per quam se propitius Deus manifestauit, vel se manifestaturum promisit: vbi, haudquaquam sine fundamento, per eam *filium Dei* significari, multi contendunt; sed venerandus quondam praeceptor meus, laudatus DANZIVS, cuius iam cineres veneror, per *gloriam Dei*, totam *sacrosanctam Trinitatem*, in vaticinio praesertim Iesaiae, (u) quod ad Iordanem in baptismo Iesu impletum fuit, intelligendam esse, asseuerauit. (x) Quod tamen ceteris non aduersatur. Vbi gloria Dei manifestatur in Christo; ibi tota sacrosancta Trinitas habitat et manifestatur. Sic Iesaiae conspicua exhibebatur gloria Dei,

(s) Ioh. I. 14. (t) Cap. cit. v. 17. 18. (u) Cap. XL. (x) l. c. §. 50. circa fin. et §. 51. p. 190.

Dei, qui tres in personis et vnus in essentia erat, quod ἰϱισάγιον Seraphinorum satis declarat: (y) nihilominus Iohannes scripsit, ipsum vidisse *gloriam Christi.* (z) Quia nemo filium Dei satis cognoscere potest, nisi nouerit et Patrem et Spiritum Sanctum.

Vnde etiam facile dignoscere licet, quare שכינה, quo כבוד יהוה, gloria Domini, ab antiquis Ebraeorum magistris exprimitur, nostrates modo de secunda, modo de tertia persona exponi postulant. (a) Quippe quod nomen toti *Diuinitati commune* est, quamuis nunc huic nunc alii personae magis appropriari queat. (b) Idque certum et exploratum est, vbi Christus habitat; ibi totius Trinitatis manifestatae sedes est. Quod nos Seruator ipse docet. (c) *Si quis diligit me, sermonem meum obseruabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et apud eum habitabimus:* hinc pii *templum Spiritus Sancti* vocantur. (d)

שכינה.

(y) Iesaiae VI. 1. 2. 3. (z) Ioh. XII. 41. (a) Vid. celeberr. viros, CAMPEGIVM VITRINGA obss. sacr. Lib. I. c. IV. § 2. 3. IOH. ANDR. DANZIVM, in meditatione penticost. *de gratiosa Dei cohabitatione*, praeser. tim *contin. tertia* et *quarta*, quae a. 1723. et 1724. in lucem prodierunt. conf. eiusd. tract. *de inauguratione Christi* etc. §. 51. (b) DANZIVS tract. cit. l. c. p. 192. sq. c) Ioh. XIV. 23. (d) 1. Cor. III. 16.

שכינה, *Schechina*, dicitur à שכן, *habitare*, quod conuenit cum graecorum σκηνὴ, *tabernaculum* et σκήνωσις, *habitatio*: quo Iohannem etiam respexisse coniiceres, qui, καὶ ἐσκήνωσιν, ait, ἐν ὑμῖν, *et habitauit inter nos; vidimus enim gloriam eius, gloriam vt vnigeniti à patre.* (e) שכינה equidem generaliter denotat *habitationem*; sed in eo sensu, quo idem significat, quod כבוד יהוה, iure transferres, *gloriosam Dei cohabitationem, praesentiam Dei maiestaticam, maiestatis diuinae apparitionem*: quocum conuenit illud Pauli, ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *apparitio gloriae magni Dei et seruatoris nostri Iesu Christi.* (f) Vbi coniungitur apparitio *gloriae magni Dei* cum apparitione *Seruatoris*, ad innuendum, quod illa in nemine alio, quam *in hoc* appareat.

Antiqua *Kabbala*, cui saniori vestigia purioris doctrinae veteris ecclesiae Iudaicae inesse, plurimi Christianorum autumant, in scala decem Sephiroth, seu *denominationum*, quibus signantur *diuinae* quaedam *perfectiones*, quae in regimine mundi aut ecclesiae illustrantur, vltimam constituit, מלכות *regnum*, ad quam, tanquam ad scopum et finem, ceterae omnes respiciunt.

(e) Ioh. I. 14. | (f) Tit. II. 13.

unt. Quam etiam Ebraei doctores solent appellare, שכינה, *Schechina:* quod non factum fuisset, nisi duo haec vocabula singularem ad se invicem haberent relationem, atque alterum per alterum exponi posset. (g)

Vtrumque inuoluit diuinam regis aeterni Maiestatem, quae in Messia erat, non solum secundum diuinam naturam, per aeternam à patre generationem; (h) sed etiam maxime secundum humanam. Idque ex aeterno pacto inter Patrem et Filium, fundamento foederis gratiae: vi cuius susceperat Filius, praestare conditionem illam, citra quam, salua Dei iustitia, mortales gratiae diuinae, beneficiorumque hinc fluentium, non poterant fieri participes: quam sponsionem, non nisi assumta humana natura, (i) implere poterat; contra Pater Filio in carne manifestando, pactus erat regnum. (k) Hinc statim à natiuitate sua, vt rex manifestatus est, (l) et recte crediderunt antiqui Ebraei ex diuinis oraculis, *Messiam regem futurum.* In hoc sita erat tota mortalis generis salus: quo

(g) Vid. CAMPEG. VITRING. l. c. p. 160.
(h) Ps. II. 6. 7. (i) Ebr. II. 14.
(k) Luc. XXII. 29. conf. IO. FRANC. BVDDEI, quem nuper praematura morte nostrae ecclesiae ereptum lugemus, instit. dogmat. l. IV. c. I. §. 4. (l) Matth. II. 2.

quo omnes virtutes iusti et misericordis Dei, quibus suam φιλανθρωπίαν hominibus testatus est, spectant.

Neque incongruum est vltimae huic *Sephirae* accommodare nomen diuinum, אדני, vti à *Kabbalae* autoribus fieri assolet: vtpote quod *dominum, sustentatorem, columen aut basin cuiusque entis* in hoc mundo *existentis*, denotat. *Est enim Christus, filius hominis, quem Pater gloria et maiestate coronauit, quem praefecit operibus manuum suarum, cuius sub pedibus omnia posuit:* (m) *omnia per eum facta sunt, et absque eo factum est nihil, quod factum sit:* (n) *omnia sustinet virtute verbi sui:* (o) *est imago Dei inuisibilis, et primogenitus omnis rei conditae. Nam per eum sunt condita omnia, quae in caelis sunt, et quae in terra, visibilia et inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia per eum et ad eum condita sunt. Estque ipse ante omnia, et omnia per eum consistunt, estque caput corporis.* i. e. *ecclesiae etc.* (p) Hinc etiam angelus, cum annuntiaret natiuitatem Christi pastoribus, *natus est*, aiebat, *vobis hodie Seruator*, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος, *qui est Christus Dominus.* (q)

(m) Ps. VIII. 6. 7 Coll. I. Cor. XV. 25. Ebr. II. 8.
(n) Ioh. I. 3.
(o) Ebr. I. 3.
(p) Col. I. 15. seq.
(q) Luc. II. 11.

Maiestatis huius et regiae dignitatis symbolum erat habitatio per conspicuum quoddam signum inter Israelitas, qui, sub antiquo foedere, solum peculium erant, vbi rex iste aeternus sedem suam fixerat. *Theocraticam* enim fuisse regiminis Israelis formam, nemo amplius in dubium vocabit. (r) Hinc tabernaculum, ad monstratum è coelo instar constructum, multa cedro conspicuum, multo auro splendidum, vasisque tam materia, quam arte pretiosissimis magnifice ornatum, variis etiam distinctum receptaculis, regia sedes erat: quae subsequenti tempestate, à *Salomone* templo extructo, tanquam aeterni regis Israelis, cuius ipse vices et imaginem gerebat, arce regia, eo transferebatur. Praesertim vero *intimum adytum*, quod sanctissimum vocabatur, quasi sanctius conclaue fuit: vbi *Iehoua Rex*, maiestate sua tremorem iniiciens populis, *insidebat cherubinis*. (s)

Quis vero ille Iehoua erat alius, quam verbum, quod caro factum est? cuius inhabitationem adumbrabant et testabantur omnia, quae in sacrario isto reperiebantur.

(r) HERMAN. WITSII, orat. de Theocrat. Israelitarum tom. II. miscell. p. 920, quam etiam *Reizius* editioni suae *Godwini Mosis* et *Aaronis* praemisit.

(s) Ps. XCIX. 1.

tur. Sicuti enim in Christo *corporaliter* tota habitabat plenitudo diuinitatis: (t) ita in tabernaculo tantummodo *vmbratice.* Aulaeum interius, quod *Sanctum Sanctorum* à *Sancto* discriminabat, erat imago carnis Christi, teste *Paulo*, (u) genuino auctore ad Ebraeos epistolae, vbi tribulibus suis nobisque ex diuino Spiritus Sancti ductu, et tabernaculi et sacerdotii, et ceterorum, quae ad cultum veteris testamenti leuiticum adtinent, mysteria pandit. Vti tota arca, ita imprimis operculum propitiatorium *Christum* designabat, quatenus peccata nostra tegit, et in gratiam nos cum Deo reducit. Nam *Deus est in Christo mundum reconcilians sibi.* (x) Eo quasi digito monstrat *Paulus*, quando, *Deum*, docet, *exposuisse omnium oculis Christum vt ἱλαστήριον in sanguine suo.* (y) Cherubini, qui in *operculo* stabant, ei affixi, innuebant ministerium angelorum, quod praesertim in opere redemtionis Christo praestiterunt. Quam occupati fuerint in natiuitate eius, iam omnes cathedrae sacrae resonant. Quum iidem ita ficti essent in operculo arcae, vt hoc, obuersis sibimet inuicem faciebus, proni spectarent: testabatur il-

(t) Col. II. 9.
(u) Ebr. X. 19. 20.
(x) 2. Cor. V. 19.
(y) Rom. III. 25.

lud angelorum desiderium, quo gestiunt παρακύψαι, *introspicere mysteria* Dei, *qui caro factus est.* (z) Vt iam alia sicco pede praeteream, ne instituti nostri limites transgrediar; ablegans interea eos, qui succincte mysteria tabernaculi, sedis gloriae diuinae, seu *Schechinae*, nosse cupiunt, ad celeberrimum quondam apud Batauos theologum, HERMANNVM WITSIVM. (a)

Non tamen hic intactum relinquere possum, quod, cum *gloria Maiestatis diuinae* translata fuerit è tabernaculo in templum, à Salomone conditum, huius praestantiam celebrarint Iudaei prae templo, post captiuitatem babylonicam instaurato; et quod inter alia, quae defuerint templo secundo, *Schechinam, gloriosam maiestatis diuinae praesentiam*, retulerint. Sed tantum abfuit, vt posterius templum priori inferius esset, vt potius multo maiori magnificentia atque splendore illustraretur. Quare etiam diuinus vates *Haggaeus* (b) gloriam templi secundi extollit prae templo primo: quoniam in eo daturus sit Deus pacem. Ibi enim apparere debebat *nascendus princeps pacis.* (c) Quo excellentius

(z) 1. Petr. I. 12.

(a) Qui miscell. tom. I. Libr. II. dissert. I. *de tabernaculi Iudaici mysteriis* breuiter et eleganter egit.

(b) Hag. II. 10.

(c) Iesa. IX. 5.

lentius itaque est corpus vmbra; (d) eo insignior est vera *Schechina*, quam aperte fideles, in viua patris imagine, in filio vnigenito, omnis gratiae et veritatis pleno, intuiti sunt, quam, quae adhuc obscuris simulacris obnubebatur. Ordo itaque requireret, vt vobis, ciues carissimi, multo magnificentiorem habitationem verbi, quod caro factum est, inter homines, tempore noui foederis, exponerem; sed ea, vrgente iam spatii breuitate, ad futurum annum, si Deus vitam concesserit, differam.

Interea vos, quo decet, paterno amore admonitos volo, vt pensitetis, ineffabilem Dei gratiam atque misericordiam, qua filium suum, assumta nostra natura, habitare inter nos voluit, vt, nobis ad tenebras detrusis, reditus pateret ad diuinam sapientiam: sine qua omnes desipimus. Animum vestrum consecrate ipsi habitaculum, vt fide intueamini gloriam illius, vt filii vnigeniti à patre, pleni gratiae et veritatis. Erudimini à salutifera Dei gratia, quae omnibus hominibus illuxit, vt, abnegata impietate et mundanis cupiditatibus, temperanter et iuste et pie viuatis in praesenti seculo et expectetis beatam illam

(d) Col. II. 17.

spem et illustrem illum aduentum gloriae magni illius Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi. (e) Oculamini filium, (f) regem aeternum, vera mentis submissione, ne irascatur, vosque in via pereatis. Mox exardebit ira eius: beati omnes, qui se ad eum recipiunt. PP. Stargardiae. Fer. I. natalis Iesu Christi. clɔlɔccxxix.

(e) Tit. II. 11. (f) Ps. II. 12.

MEDITATIO III.
DE
HABITATIONE VERBI DEI
QVOD CARO FACTVM INTER HOMINES POSTERIOR.

Superiori anno multo magnificentiorem et magis exoptatam, inter homines, habitationem VERBI, *quod caro factum est*, me hoc tempore vobis expositurum, promisi, carissimi ciues. Cuius rei haud immemor, quae tum recepi, iam exsoluo, vobisque, vt dignitatem vestram omniumque fidelium noui foederis agnoscatis eamque tueri ac sustinere, per diuinam virtutem, contendatis, nunc declaro, quantum mihi licet, maiestatem atque immensam amplitudinem VERBI, sub oeconomia noui foederis, postquam humanae carnis particeps factum est, habitantis.

Non

Non atram atque terribilem caliginem, crebris micantem ignibus, et horrisono tonitruum fremitu minacem; non fumidam nubem et lucem tenebricosam; non adytum aulaeis obseptum et inaccessum; non imagines; non vmbram; non rerum atque verborum implicatos et vix inextricabiles nexus vobis sisto; sed splendidam, mitem atque placatam, laetam et iucundam, veram indubiamque, claram omnibus et perspicuam GLORIAE DEI, *inter homines habitantis*, manifestationem, piae vestrae meditationi subiicio, quam *Iohannes* nobis exhibuit, *et verbum illud*, inquiens, *caro factum, habitauit inter nos* (*gloriam enim eius, vt gloriam vnigeniti à patre vidimus*) *plenum gratiae et veritatis.* In quo dicto iam ab initio nostras cogitationes fiximus.

VERBVM ILLVD SVBSTANTIALE, non ex profana Platonis schola originem suam traxit, vt malesani homines delirarunt; quandoquidem *Iohannes* Θεόπνευστος, exposita sua de VERBO ILLO mente, statim fontem aperuit, vnde suam illius notitiam hauserit, *nam*, aiens, *illud ipsum verbum*, cuius essentiam, virtutes atque opera diuina iam explanaui, *caro factum est, et habitauit inter nos* (*cuius gloriam, tanquam vnigeniti filii à patre* CONTEMPLATI SVMVS) *plenum*

gratiae et veritatis; vbi (a) non tam *copulandi*, quam *causam et rationem adferendi* potestatem habere, interpretes cordati iamdiu exploratum dederunt: sed ab aeterno, ante jacta fundamenta mundi, cuius conditor fuit, (a) generatum est à Deo patre, cuius filius vnigenitus, *consubstantialis et coaeternus, à Iohanne omnibusque ceteris fidelibus* cognitus fuit. Quorum cognitio tanto certior erat, quanto familiarius eo vsi sunt, testes illius auriti atque oculati. Ad quam laeti nuntii sui certitudinem idem *Iohannes* alibi (b) prouocauit, *quod erat à principio*, scribens, *quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus et manus nostrae contrectarunt, de VERBO ILLO vitae, (nam vita illa conspicua facta est, et illam vidimus et testamur, et annunciamus vobis vitam illam aeternam, quae erat apud patrem, et conspicua facta est nobis) quod, inquam, vidimus et audiuimus, id annunciamus vobis.*

Conspiciendum vero exhibebatur ILLVD VERBVM in IESV Nazareno, in quo *corporaliter* tota habitabat plenitudo diuinitatis (c), cuius et *Iohannes* et ceteri apostoli testes erant. Ille scopus erat, quo omnium Dei veri et viui veridicorum interpretum effata,

(a) Ioh. I. 3.
(b) 1. Epist. I. 1.-3.
(c) Col. II. 9.

effata, de maiestate diuina clare manifestanda, collimarunt. Incipiebat vero manifestari et habitare inter homines, postquam, tempore, quod ex liberrima Dei voluntate praestitutum erat, impleto, ex Maria virgine homo natus fuit. Quod factum est sub Octauio Augusto, Romanorum imperatore, stante apud Iudaeos templo posteriori, post solutam captiuitatem Babylonicam, qua prius destructum fuerat, instaurato. Quare non est, quod Iudaei mirentur, שכינה, *Schechina*, nubilosam et vmbratam illam, *maiestatis diuinae praesentiam*, in altero templo cessasse. Iam enim tempus appropinquarat, quo, sublata *vmbra*, *corpus* appareret, (d) atque in oculis quotidianoque aspectu omnium *illustris gloria diuina* poneretur. Quo quasi digito commonstrauit *Iohannes*, veram *gloriae diuinae* ostendens *habitationem*, quam, quae in priori templo vsitata erat, adumbrauit. Dum enim inquit, ἐσκήνωσεν ἐν ὑμῖν, *habitauit inter nos*, per graecorum, σκήνωσιν, ebraeorum שכינה expressit, cui prius suos natales debet. Iam imminebat aetas, cui pateret, quare mons ille, cui superstructum erat templum, et in quo filium suum Abrahamus olim sacrificare

(d) Col. II. 17.

volebat, הר יהוה יראה, *mons*, quo *manifestabitur dominus*, (*) dictus sit, qui inde antiquitus מוריה, *Moriia*, vna cum circumiacente regione appellabatur. Cuius posterioris nominis ratio et ortus, à priori denominatione dependet, siue velis, simpliciſſimum participium *Hophal* radicis ראה, esse, quod in feminino denotaret, terram *conspectui oblatam*, *visui expositam*, (e) vti etiam *Aquila* reddidit, τὴν γὴν καλαφανῆ *terram illam conspicuam*, et *Symmachus* transtulit, γὴν τῆς ἐπλασίας, *terram spectationis*; quia in eam terram illumque montem, manifestata ibi gloria diuina, omnium oculos conuerteret, quippe quo in celso atque illustri loco, *RADIX ISAI, quam consulturae sint gentes, in signum populorum staret:* (f) siue cum *FVLLERO* statuas, (g) מוריה, perinde valere ac מראה יה, vocibus seperatim et distincte scriptis, quasi diceres, locus, quo φανερωθεὶς Θεὸς vel κύριος, *Deus* aut *Dominus conspicuus factus*. Namque ibi, non vrbi hierosolymitanae, quae è regione templi superstructi, monti *Moriae*, ad theatri vel spectaculorum speciem

(*) Gen. XXII. 14.

(e) Cuius deriuationis rationem reddidi in annot. ad *CAMPEG. VITRINGA Ecograph. S.* an. 1723. nouae editioni obss. SS. adiectam p. 29.

(f) Ies. II. 10.

(g) Miscell. Sacr. lib. II. c. 14.

ciem sita erat; (h) non terrae Iudaeae solum, cuius caput erat hierosolyma; sed omnibus terrarum gentibus *maiestas diuina* manifestanda erat. Qua de causa Iesaias praedixit, *montem Iehouae* editum fore prae ceteris, *et futurum est*, inquiens, (i) *postremo tempore, vt mons domus Iehouae constabiliatur in vertice montium, et extollatur supra colles, et omnes gentes ad eum certatim confluant: et mouebunt se populi multi et dicent: agite! ascendamus ad montem Iehouae, domum dei Iacobi, vt nos edoceat de viis suis et incedamus in semitis eius: quippe è Zione egredietur lex et verbum Iehouae hierosolymis.* Quod vltimum incisum ad recludendos huius oraculi intimos sensus nobis clauem praebet et rationem aperit, qua dominus manifestandus sit, inter omnes gentes habitaturus, nempe per *euangelii praedicationem*, cuius initium hierosolymis fieri debebat. (k)

Antequam vero ille maiestatis diuinae splendor in omnes terras radios suos spargeret, prima eius luce hilarati, recreati fuerunt et confirmati, qui vel in sanctissimo hoc monte, verae ecclesiae imagine, vel prope illum mansitabant. Primi percepe-

(h) *IOSEPH. Antiq.* lib. XV. c. 14. p. m. 545. a. edit. cum praef. *Ittigii.*
(i) Cap. II. 2. seq.
(k) Luc. XXIV. 47.

ceperunt *gloriosam praesentiam numinis diuini* pastores in agro, sub ipsa nocte natiuitatis Iesu, collustrante illos gloria domini, et, post factam annuntiationem *Seruatoris recens nati, qui est Christus dominus*, multitudine coelestis exercitus, *gloriam in excelsis Deo, in terra pacem et inter homines acceptam voluntatem*, canente. (l) Qui, postquam rei veritatem experti sunt, primos etiam salutis praecones egerunt. Deinde, cum mater Iesu, diebus suae purificationis completis, filium in templo sistetet: (m) id, praesente sancto illo ex Maria nato, *quod filius Dei erat*, (n) *gratiosa Iehouae praesentia* primum illustrabatur; quae erat *templi posterioris prae priori gloria*, aduentante solatio gentium. (o) Tam amoenam et salutarem lucem iustus piusque *Simeon* et veridica summi numinis interpres, *Hanna, Phanuelis filia*, incredibili gaudio exceperunt et salutem domini, spem ante Israelis, iam eiusdem gloriam, celebrarunt. (p) Postea Iesus duodecim annos natus et solenni more à parentibus ad festum statutum hierosolymam ductus, sedem paternam occupauit, et in templo inter doctores sedens, *suam diuinam* exhibuit,

(l) Luc. II. 8.-17.
(m) Luc. II. 22.
(n) Luc. I. 35.
(o) Hagg. II. 7. coll. cum Simeonis hymno. Luc. II. 32.
(p) Luc. II. 25. 36.

buit *praesentiam.* (q) Quod postea pluries factum, cum ex lege, terna quotannis vice, masculus è patria hierosolymam, ad obeunda sacra solennia, ascenderet. Qua de causa nullam habebant Iudai causam, cur grauarentur, domini gloriam sibi non apparere; manifesta et clara eius maiestas in Iesu Nazareno ipsis sistebatur; proponebatur publice thronus gloriae, ἱλαστήριον, *operculum propitiatorium,* (r) homo *Christus IEsus*, in quo non praesentiae diuinae signum externum nubilosum; sed omnis diuinitatis plenitudo *corporaliter* habitabat. (s) Mens et oculi eorum nimium adfixi inhaerebant velo, tegenti olim, quod ab omnium oculis secretum erat, vt, acie tenebris sterilibus praestincta, lucis claritatem ferre non possent. Ea enim est hominum pertinax stupiditas, vt, quae perspicua atque ante oculos posita sunt, negligant, ita rerum obscuritate et vetustate impliciti, vt ipsae tenebrae facti videantur. Hinc cum *luceret lux in tenebris, eam tenebrae non comprehenderunt,* (u) et, *cum in peculium suum veniret Christus, à suis nec agnitus, nec susceptus fuit.* (x)

Tan-

(q) Luc. II. 41. seq.
(r) Rom. III. 25.
(s) Col. II. 9.
(u) Ioh. I. 5.
(x) Ioh. I. 11.

Tantum vero abeſt, vt *VERBVM, quod caro factum*, vllam ſui teſtificationem omiſerit, vt, voce è coelis delapſa, *FILIVS DEI DILECTVS, in quo PATER acquieſcat*, proclamaretur. Quod ad Iordanem factum, quum Chriſtus à Iohanne, ſuo praecurſore, baptizatus, in conſpectu infinitae hominum multitudinis, in vtraque fluminis ripa circumfuſae, ad munus docendi ſolenniter inauguraretur. (y)

A quo tempore, docendo et virtutem ſuam diuinam per miracula exerendo, in templo, vrbe hieroſolymitana, totaque ferme Iudaea verſatus eſt, et, quo non venit, eo GLORIA radios ſerenos per famam ſparſit, allexitque ſalutem orbis terrarum propius intuituros.

Omnium vero familiariſſime vſus eſt Chriſtus iis, quos ſuos elegerat diſcipulos, teſtes diuini et gratioſi maieſtatis ſuae ſplendoris futuros, per quos omnibus in vniuerſum gentibus *gloria Domini* manifeſtanda erat. Quemdadmodum tabernaculi pariter et templi ſanctiſſima pars et auguſtiſſimum et anguſtiſſimum erat Dei, per ſignum externum inter Iudaeos reſidentis, habitaculum: ita diſcipuli Ieſu, ſe-

le-

(y) Matth. III. in fine. Quam *inaugurationem Chriſti ad docendum, haud obſcuriorem Moſaica*, peculiari tractatu *B. IO. ANDR. DANZIVS* illuſtrauit.

lectissima fuit gentis Ebraeae portio, intra cuius limites habitare, atque in proximo se conspiciendam praebere voluit VERBI maiestas. Vnde etiam *Iohannes*, vnus ex familia Iesu, dicebat, VERBVM, *quod caro factum, habitauit* INTER NOS, et porro, *spectauimus gloriam eius, gloriam verè tanquam vnigeniti à patre.* Vbi ὡς, non vim *comparandi* habet, sed, vti כ Ebraeorum, est *expressiuum veri.* (z) Dum enim *Iohannes* vult exponere, quod VERBVM illud habitauerit inter homines, *plenum gratiae et veritatis:* per insertam parenthesin declarat, hanc esse gloriam *vnigeniti à patre*, qua veram imaginem PATRIS sui, cui *coaeternus* et *consubstantialis*, spectandam in terris exhibuit. Sicuti etiam *Paulus*, eundem *vnigenitum filium*, per quem PATER vltimis temporibus ad nos locutus est, ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *splendorem gloriae atque characterem substantiae eius*, nominauit. (aa)

Neque dubito, *Iohannem* cum solennem fidelium V. T. formulam רב חסד, qua *Deum* celebrabant, et quam *alexandrini*

(z) v. celeberr. DANZII interpr. §. 150. II. 2. qui *Chrysostomum*, *Theophylactum*, ad Ioh. I. 14. aliosque patres idem confirmantes, in notis allegauit, et B. GLASSIVS. Ph. S. III. 5. Can. 28. col. 1014. edit. Lipsi. 1713.

(aa) Ebr. I. 3.

ni interpretes, πολυέλεος, transtulerunt, exprimere; tum vero maxime ad *gloriam Dei Mosi manifestatam* respicere voluisse. Cum enim diuinus dux et legislator, in confirmationem exauditae suae deprecationis, populique sui rebellis in gratiam recepti, Deum supplex rogaret, *vt sibi gloriam suam ostenderet:* (bb) denegabatur ipsi quidem, *faciem Dei videre*, quia nemo mortalium eam videre et viuere posset: (cc) ex ea vero ratione, qua *gloriae diuinae* aspectum homines sustinere possent, precibus eius locus concedebatur. *Ego*, respondebat Deus, *omne bonum meum, vt coram te transeat, faciam et inclamabo nomen Iehouae coram te.* (dd) Quod etiam fiebat. Nam, transeunte Iehoua ante Mosen in spelunca, cuius ostium obtegebatur, constitutum, clamauit Iehoua, VERBVM SVBSTANTIALE, diuinae paternae voluntatis apud homines interpres: (ee) *Iehoua, Deus misericors, beneficus, qui sero irascitur* רב חסד ואמת, PLENVS GRATIAE ET VERITATIS. (ff) Vidit itaque Moses *gloriam filii vnigeniti* et rationem eius tempore praestituto manifestandae, aeque ac *Iesaias*, quem *Iohannes* dixit, (gg) gloriam Chri-

(bb) Exod. XXXIII. 18.
(cc) Ibid. v. 20.
(dd) Ibid. v. 19.
(ee) Ebr. I. 2.
(ff) Exod. XXXIV. 6.
(gg) Cap. XII. 41.

Christi vidisse, cum audisset, Seraphinos, vnum versus alterum, clamantes: *sanctus, sanctus, sanctus est Iehoua Deus exercituum, plenitudo totius terrae est gloria eius.* (hh)

Gloria itaque *filii vnigeniti* est *plenitudo gratiae et veritatis.* חסד, quod Iohannes per χάρις expressit, significat, exponente MAIMONIDE, (ii) *excessum et supremum gradum alicuius rei, quaecunque demum sit. In specie vero vsus eius est ad significandam summam beneficentiam: notum autem est, beneficentiam duo comprehendere, et primo quidem benignitatem erga aliquem, cui nil plane debes; deinde benignitatem erga eum, qui beneficio dignus est; sed non tanto. Apud Prophetas maiori ex parte eiusmodi beneficentiam notat, quae exercetur erga eum, cui nihil plane debetur.* Tam immensae Dei *gratiae* etiam Christus plenus est, ex eo enim redundat in nos gratuitus Dei fauor, quo adeo dilexit mundum, vt filium suum traderet vnigenitum, nobisque prorsus immerentibus atque indignis, immò contraria omnia merentibus, in eo conferret cuncta bona aeterna, plenam peccatorum remissionem, spiritum sanctum, renouationem,

(hh) Iesa. VI. 3.

(ii) *More nebhochim* p. III. c. 53. de quo loco iam egi, in exercitationum de *Eleemosynis Vett. Ebraeorum* prima, de *eleemosynarum nomine*, Ienae. 1724. habita §. XVII.

haereditatem atque vitam aeternam. Quae bona vera, solida atque constantia sunt. Qua de causa cum *gratia* coniuncta est *veritas*, quae immutabilem Dei constantiam ac veracitatem innuit, qua bona promissa fidelibus, quantumuis immerentibus, largissime perfectissimeque praestat. (kk) Tam longe lateque se pandit amplitudo *gloriae Christi* in magnificentissima vtraque virtute, *gratia* et *veritate*, vt, cum iam altitudinem et profunditatem, latitudinem et longitudinem neutrius exiguis limitibus concludere liceat, vela contrahere cogar.

Cum vero *filius Dei* ad dexteram *Patris* sedens, hodienum inter nos habitet *plenus gratiae et veritatis*, quippe qui non solum duobus vel tribus, suo nomine congregatis, adesse velit, (ll) sed etiam, se nobiscum futurum esse vsque ad Seculi consummationem, promiserit: (mm) vos, *carissimi ciues*, qui sacro initiationis lauacro renati, peculium eius facti estis, cauete, ne negligatis, eum suscipere. Quaerite ipsum in templo, quo primum omnium suam vult manifestare gloriam, et sedentem

(kk) vid. FLACIVM in Clav. Scrip. S. parte I. in vtraque voce, *gratia* et *veritas* FVLLERI *Miscell.* lib. I. c. 8. et potissimum FRID. ADOLPH. LAMPIVM recentissimum commentatorem in Euangel. secundum Ioannem, *in comment. analytico-exegetico* ad h. l.

(ll) Matth. XVIII. 19.

(mm) Matth. XXVIII. 20.

tem ibi et docentem in gloriae suae diuinae testibus, auscultate, atque ex illius exemplo, quod vobis omnis vitae norma atque regula esse debet, discite animi submissionem atque obedientiam, vt demum eius gloria in vobis splendeat, sapientia, aetate, atque gratia apud Deum et homines crescentibus. Sic tandem fiet, vt è medio vestro prodeant aliquando, ministri gloriae *filii Dei*, habitantis inter homines, manifestandae, et adiutores ad ecclesiam illius vsque ad finem mundi colligendam. PP. Stargardiae ad Ihnam. Fer. I. Natiuitatis Christi. clɔlɔccxxx.

MEDITATIO IV.
DE
MESSIA E MORTE AD VITAM
INEFFABILEM ASSVMTO
AD IES. LIII. 8.

Fides nostra est antiquissima, nullaque religio suam originem suumque fundamentum tam longe repetere potest, quam Christianorum. Eadem semper fuit verum Deum colendi genuina ratio, eadem via perueniendi ad salutem. Christus, qui promissus est primis patribus, manifestatus eo tempore, quo misericordi et sapientissimo Deo placuit, vnus omnium

mediator, liberator, atque redemtor est. In nullo enim alio salus, nullumque aliud nomen, in quo saluemur, quam Iesu Nazareni. (a) Sicuti vero hic ipse rex nostrae salutis dixit, suum regnum non esse huius mundi: (b) ita nec bona regni ipsius ad felicitatem externam et temporalem; sed ad mentis beatitudinem, eamque in praesenti vita quidem inchoatam, sed plenam et perfectam in futura vita, spectant. Vbi ergo promissiones factae sunt patribus veteris testamenti de messia futuro: earum omnium summum caput erat felicitas, post hanc vitam expectanda. Quae enim felicitas ista, quae inconstans, fragilis, caduca, quae sine cura metuque non possidetur, et demum perdita, possessorem suum, multo miseriorem reddit eo, qui nunquam eius particeps factus est? an tantae molis fuisset, condere spem miserae fragilitatis? Quare, qui in religionis iudaicae institutione, nihil promissum esse volunt supra huius vitae bona, terram vberem, penum copiosam, victoriam de hostibus, longam et valentem senectam, posteros cum bona spe superstites; (c) tam operosi cultus vel nullum, vel certe exiguum pretium statuunt: praesertim cum et gentes

(a) Act. IV. 12. (b) Ioh. XVIII. 36.

tes, alienae à vero Deo et non operantes religione ab eo praecepta, iisdem rebus prosperis fruerentur. Multo insignius ergo praemium, ex gratuita misericordis numinis donatione, verae religionis cultoribus expectandum erat, beatitudo post hanc vitam futura, quam sua morte Christus nobis redemit, redemtam sua resurrectione confirmauit. Fide itaque in hunc salui redditi sunt omnes patres, qui ab origine mundi vero Deo adhaeserunt; hac eadem fide in illum ipsum redemtorem et nos tempore noui foederis saluamur. (d) Eadem itaque omnium, et fidelium veteris, et noui testamenti, salus est, eadem omnium felicitas, post mortem futura. Quae cum ita sint, vana sibi persuadent, qui resurrectionem carnis è numero articulorum fidei veteris testamenti quasi exterminant, eamque in eo nusquam aperte tradi, autumant. Quod nominatim asseruit IOH. CLERICVS, (e) et, qui iam praeiuit eum, HVGO GROTIVS, (f) existimans, *post Esdram patientiam piorum, iudicium vniuersale, vitam aeternam, supplicia gehennae,*

(c) GROTIVS de Veritate relig. Christ. lib. II. §. 10.
(d) Act. XV. 11.
(e) Comment. in libb. V. T. histor. ad 1. Sam. XXVIII. 7. pag. 269. a.
(f) In Praefat. in libr. Sapientiae Tom. III. Crit. Sacr. col. 1702.

explicatius proponi coepisse. Nisi enim fideles veteris testamenti certo credidissent, se resurrecturos esse, vanum desiderium spemque ventosam habuissent, venturae salutis è Zione, et omnis eorum religio cassa fuissent blandimenta et inanium fomenta votorum. Nam, *si mortui non suscitantur*, inquit gentium apostolus, (*) *Christus quoque non est suscitatus, quodsi Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Nempe et qui obdormiuerant in Christo, perierunt. Si in hac solum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.* Vbi videmus, quod in demonstranda resurrectione carnis ad totum fidei nostrae fundamentum respiciat, et ad indissolubile vinculum, quo hoc et illa inter se continentur, attendere iubeat. Quare, dum modo ii, quibus veterum spes de resurrectione mortuorum dubia videtur, satis animum aduertere velint ad totam fidei et religionis σχέσιν, ex obscuritatibus, quas sibi fingunt, clara lux ipsis affulgeret. Vbi enim fundamentum futurae salutis, Christus, clarum fuit; ibi non obscura fuit mors eius et resurrectio: vbi haec erant manifesta; ibi nec mortuorum dubia esse poterat resurrectio. Idcirco sermo, quem Chri-

(*) 1. Cor. XV. 16.

Christus è mortuis suscitatus, occulta sua persona, cum discipulis, Emauntem abeuntibus, habebat, ipsis, se mori oportuisse et ad suam gloriam ingredi, è Mose, prophetisque dilucidans, perspicua simul resurrectionis mortuorum demonstratio è scriptoribus testamenti veteris fuit. O, inquies, si nobis ea superstes esset, forsan nemo amplius dubitaret! imo superstes est: habemus enim monumenta Mosis et prophetarum, quae prouidentia diuina nobis conseruata in manus tradidit; habemus scripta discipulorum et legatorum Christi, qui nobis ea ex spiritu oris Magistri sui declarata dederunt. Salua itaque res est. Quod etiam ostendit consummatus theologus, VRBANVS REGIVS, qui praestantissimo dialogo, quem occasione colloquii Christi cum discipulis emaunticis, rogatu coniugis, matronae omnibus piae feminae virtutibus ornatae et excellentis, habuit et germanice conscripsit, (g) vaticinia veteris testamenti de Christo et regno eius, pie et bona fide explicuit. Quem

(g) Dialogus von der herrlichen trostreichen Predigt, die Christus Luc. XXIIII. von Jerusalem bis gen Emaus den zweyen Jüngern am Oster-Tage aus allen Propheten gethan hat, durch D. Vrbanum Regium. Editio nouissima eius Halae excusa est; mea vero, quam possideo, ist kurtz vor seinem Ende übersehen und gebessert. Wittenberg, gedruckt durch Hanß Lufft, 1573.

dialogum IOH. FREDERVS latinitate donauit, et, omnes, quos scripsit REGIVS libros, vt magnitudine, sic vtilitate facile vincere, iudicauit; quia sunt hae de Christo prophetiae medulla et nucleus scripturarum. (h)

Nobis iam placeret in tam amoenum salubremque campum exspatiari, vt imbueremus fidem vestram, cariſſimi ciues, excitaremus atque confirmaremus: sed cum per nostri rationem instituti nobis tam verbosis esse non liceat: ex eo decerpimus tantum venustissimi vatis Iesaiae flosculum, מעצר וממשפט לקח ואת דורו מי ישוחח *ex angustia et iudicio sumtus est, quis aetatem eius enarrabit?* (i) Si quaeratis cum principe Candaces reginae Aethiopum, de quonam loquitur vates, an de se ipso, an de alio? (k) Nulla de seipso verba facit propheta; sed de alio extra suam sphaeram constituto, quoniam includit se numero differentium, de tertio remoto; vel certe illorum personam inducit, eumque, de quo sermo est, à populo suo, cuius erat ipse pars, separat, *proper defectionem*, inquiens, *populi mei plaga ipsi.* Neque tamen vlli alii competunt, quae hic dicuntur,

(h) Conf. ELIAE VEIEL. B. D. Vrbani Regii memoria et merita, Vlmae 1683. §. XXIII. sqq.
(i) Iesa. LIII. 8.
(k) Act. VIII. 34.

tur, quam Iesu Nazareno. Quapropter ab hoc vaticinio initium faciens *Philippus*, principi Aethiopi euangelium de Iesu praedicauit. (l) Si enim de *Iosia rege* vel *Ieremia propheta* haec exponere velles; vter sublatus ex angustia et iudicio, vt haberet aetatem, nec verbis nec cogitatione definiendam? vter excisus est propter defectionem populi sui, vt huius poenam sustulisset? Si de *populo Israelitico*; quinam sensus esset: populus Israelis excisus est propter defectionem populi sui? videsne quendam, qui pars eius fuit, totum populum expiasse? Si denique de *quouis iusto* intelligeres; superquam, quod nec vnicuique iustorum tam insignem ereptionem, nec eam, quae mox subsecuta est, assumtionem in gloriam tribui posse, certum est; etiam absonum esset, quemuis iustum piaculum esse irae, quae mota est Deo ob defectionem populi, cum non posset vnus frater alterum redimere deumque expiare. (m) In neminem igitur tam vere accidebat hoc vaticinium, quam in Iesum Nazarenum, quem oportebat pati et mori, et ad suam gloriam ingredi. עצר, talem *angustiam*, *coarctationem et afflictionem* denotat, qualis esse solet seruorum, misere

(l) Act. VIII. 35. (m) Ps. XLIX. 8.

sub duro domino viuentium. Quare non dubitamus asserere, quod totus hic Christi, formam serui induti, *status exinanitionis* innuatur. Sicuti enim propheta causas incredulitatis Iudaeorum in scandalis ponit, quae ab humili Iesu ortu, vita, et turpi, ut videbatur, morte acceperunt: ita, omnia haec sub vno complexus, à stolidis et praeiudicatis opinionibus vindicat. Qua ex parte nobis pollicem premit *alexandrina interpretatio*, vbi עצר per ταπείνωσιν exponitur. Si tamen malles voci ebraeae עצר, *imperii* significationem tribuere; vti ABRABBANEL fecit, licet totum vaticinium ad populum Israeliticum peruersa interpretandi ratione referat: en! ea nostrae sententiae repugnat. Imperium enim et dominium, quod hic intelligeretur, esset *mortis*; Christus vero sua morte vicit mortem, destruxit eum, penes quem erat mortis imperium, hoc est, diabolum, et liberos reddidit, quotquot metu mortis per omnem vitam damnati erant seruitutis; (n) adeoque mors ipsius, mors nostrae mortis, venenum et pestis inferni, vita, salus nostra fuit. Quemadmodum igitur à veritate abhorreret, si quis dicere vellet, victorem, qui nunquam subactus est ab hoste suo; sed de

(n) Ebr. II. 14.

de isto, viribus omnibus exuto, triumphauit, sub dominio victi fuisse: ita nec vnquam recte dicitur, quod Christus è mortis à se deuictae imperio, sub quo non fuit, ereptus sit. Quandoquidem ipse ait: *venit princeps mundi huius, et in me non habet quicquam.* (o) Quam vero Christus afflictionem subiit, ea infirmi et prostrati tyranni erat ictus, calcaneum duntaxat feriens. Quae diuino consilio omnia fiebant, vt iustissimum Dei iudicium Iesus innocens pro nobis ingrederetur, et solueret patri suo infinitum redemtionis pretium, quo è seruitute mortis in libertatem vindicaremur. Additur itaque ומִמִּשְׁפָּט, *et è iudicio*, non humano, quo morte; sed diuino, quo resurrectione exemtus est. Quod initium erat *status exaltationis*, in quem Iesus transibat ex *statu seruitutis*. Iam CAMPEGIVS VITRINGA omnium, qui in Isaiam commentati sunt, et eruditissimus et diligentissimus, obseruauit, phrasin, *assumi ex coarctatione et iudicio*, per se significare mutationem status in melius, qua quis à poenis iudicialibus, quibus subiectus erat, vindicatur. (p) Quod fiebat, cum perfecto di-

(o) Ioh. XIV. 30. conf. BALTHAS. MENTZERVM. *in opp. latin. p. 414.* qui vbe-rius probatum iuit, quod Christus non fuerit sub dominio et imperio mortis.

(p) Tom. II, comment in Isc. p. 673.

redemtionis opere et plene ira Dei expiata, Christus ex morte ereptus, vitae restitueretur, et ad dextram patris sui eueheretur. Solent plerumque nostri theologi exaltationis statum ita ordinare, vt primum constituant ζωοποίησιν seu viuificationem, quando post mortem Christi anima iterum cum corpore coniuncta fuit, quae est ipsa resurrectio à mortuis; tum descensum ad inferos; deinde resurrectionem, seu potius manifestationem resurrectionis; postea ascensionem in coelum; et sessionem denique ad dextram patris. Distinguunt itaque viuificationem à resurrectionis manifestatione, vt interserere possint, descensum Christi ad inferos, qui 1. Pet. III. 18. ζωοποιήσει postponitur, et in symbolo, quod ab apostolis nomen accepit, praemittitur resurrectioni: de quo vero hic nobis sermo non erit. Omnes autem ceteros actus, qui ad exaltationis statum referuntur, complectitur verbum לקח *assumtus est*. De suscitatione piorum è mortuis dicit poeta sacer, *certe Iehoua liberauit animam meam è potestate mortis*, כי יקחני *quando me assumet tempore matutino*. (q) De assumtione viuorum in coelum vsurpatur, vbi de *Enocho*, כי לקח, *quod assumserit illum Deus*, (r) de

(q) Ps. XLIX. 16. (r) Genes. V. 24.

de *Elia*, quod *Iehoua*, לוקח *assumturus sit eum*, (s) commemoratur: et denique de euehendo in gloriam adhibetur ab *Assapho*, precante: (t) *duces me consilio tuo et ad gloriam* תקחני *assumes me*. In hellenistarum loquendi consuetudine respondet ebraeo graecum ἀναλαμβάνειν. Quandoquidem *Marcus* de Christo dixit. (u) ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, *assumtus est in coelum*. *Lucas* (x) simpliciter, ἀνελήφθη *assumtus est*, et *Paulus*, (y) ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, *assumtus in gloria*. Vnde, cum laudato VITRINGA, omnino colligimus, hanc antiquam et solennem formulam fuisse veterum sanctorum, qua suam fidem, de assumtione tam Messiae quam piorum in gloriam aeternam, expresserunt. Si vero eam stricte velis *de ascensione Christi in coelum*, vti apud *Lucam* et *Marcum* ἀνελήφθη adhiberi videtur, exponere: sequitur certe *assumtio in coelum, resurrectionem*, et *Paulus* eadem locutione totum exaltationis statum comprehendit. Neque dubium est, Iesaiam innuere primum resurrectionem, et deinde cetera, quae hanc secuta sunt, gloriosa: quoniam viciniam termini à quo et termini ad quem et immediatum ascensum ex vltimo gradu vnius

ad

(s) 1. Reg. II. 3.
(t) Ps. LXXIII. 24.
(u) Marc. XVI. 19.
(x) Act. I. 2.
(y) 1. Tim. III. 16.

ad primum alterius satis superque declarat, *ab angustia et iudicio*, inquiens, *assumtus est*: et statim pergit vitam suscitati ex mortuis exaggerare. Aetatem eius quis enarrabit? דור spatium temporis vitae humanae denotat, vti *seculum* latini, teste VARRONE (z), *spatium annorum vocarunt, dictum à sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt.* Ebraei quidem suam vocem non, vti latini, tam ad certum annorum numerum alligarunt; quoniam certus vitae humanae terminus figi non potest, qui à prima origine generis humani varius fuit et incertus, et *Moses* iam sua aetate cecinit, (a) *in diebus annorum nostrorum anni septuaginta numerantur, et si multum inualuerint, octoginta:* ea tamen significarunt eam temporis durationem, quod homines vel aequales, vel aetate parumper distantes, emetiuntur, et latinis commodius exprimitur per *Aetas.* Quod vero illis sit nomen temporis, inde satis luculenter patet, quoniam, eo geminato vtuntur, ad exhauriendum immensum tempus, vel ipsam aeternitatem, quam דור ודור, *quasi continuam seriem aetatis* vocant. Cum enim nec intellectu, nec voce concludi possit duratio interminata, ad eam quodammodo ex-

(z) de lingua latin. col. 1043. (a) Ps. XC. 10.

exprimendam temporis circumscripti nomina solent adhiberi, vltra temporis ideam extenta. Et, si natiuam vocis דור significationem in linguis paulo longius ab origine sua prima remotis, inuestigare liceat, inueniemus eam in latinorum *durare*, et germanorum *dauren*. Quae iam nulla alia ex causa à nobis dicta sunt, quam, vt asseramus, hic proprie דור *spatium temporis vitae et eius durationem significare*, ne sine vrgente necessitate respiciamus ad res in tempore factas; sicuti fecit *Chaldaeus Ionathan*, qui habet, *miracula, quae fient nobis in diebus ipsius, quis poterit enarrare?* sed quis vel per somnium in hoc inciso cogitare posset miracula? multo absurdior est, glorioſi militis, qui triumphum cecinit ante victoriam, *Lipmanni* expositio vel potius deprauatio, (b) quae huius carminis est: *quis recensere posset omnes molestias generationis istius serui et miserias tempore captiuitatis ipsius?* Non enim à propheta prior status; sed iam posterior, aeterna gloria et maiestate plenus, extollitur, qui esset remuneratio Christi, quod pro populo exciſus erat. Neque דור hic sobolem denotat, vti BVXTORFFIVS haec verba de amplitudine ecclesiae siue credentium sobole numerosa exponere

(b) *In Nizzachon. ab Hackspan. edito p. 132.*

ponere voluit. Ad quam sententiam iam VITRINGA obseruauit; (c) *vocem* דור *non satis aptam esse ad significandam posteritatem ex aliquo orituram, et, si propheta id voluisset, forte scripsisse,* דורותיו *generationes eius.*

Hinc omnium elegantissime transtulit LVTHERVS, *wer will seines Lebens-Länge ausreden?* si etiam verbum ישוחח spectemus. Nam שוח *loqui* significat et, quae dicenda sunt, *meditari*; notatque perspicuam et distinctam orationem, quam satis exquisita meditatio anteceſſit. Propheta enim dilucide explicaturus vitae aeternitatem, ad quam à mortuis Iesus reuocatus erat, ex admiratione inexputabilis rei, *quis aetatem eius*, inquiebat, *multo meditata oratione assequetur?* Quam Messiae longaeuitatem Dauid exposuit ita: (d) *Vitam petiit à te: dedisti et longitudinem dierum in seculum et sempiternum.* Et ipse de se loquens; (e) *et qui viuo, licet mortuus fuerim, et ecce! viuo in secula seculorum.*

Viuit itaque salus vestra, ciues carissimi: viua sit etiam vestra in eam fides: recordamini semper, Iesum Christum ex mortuis suscitatum esse. (f) Si vesana ratio et nugax supercilioſorum hominum sapientia

(c) *Vid. Comment. eius Tom. II. p. 673. b.*
(d) Ps. XXI. 5.
(e) Apoc. I. 18.
(f) 2. Tim. II. 8.

pientia vos velint à salutari cognitione abducere: agite! ratiocinationes, quae virtutem Dei altissimi impugnant, euertite: omne sublime, quod se extollit aduersus cognitionem Dei, destruite, et omnem rationem captiuam subigite sub fidei potestatem, (g) armati verbo prophetarum atque apostolorum. Si vos malorum irritamenta impedire velint, quo minus penetrare possitis ad veram sapientiam, cuius indissolubilis comes est pietas: recordamini, Iesum subiisse angorem mortis et iudicium Dei grauissimum; ne vos peccati seruitute, cuius stipendium mors est, opprimamini: nolite vltro peccare, ne filium Dei et sanguinem foederis conculcatum eatis: recordamini, surrexisse Christum è mortuis, vt in noua et sancta vita semper ambuletis. Quae, si facturi sitis, aliquando vestram, è morte et iudicio ereptorum, aetatem nemo nec cogitando nec eloquendo poterit definire. P. P. Fer. I. Fest. Resurrect. Christi clɔlɔccxxix.

(g) 2. Cor. X. 5.

MEDITATIO V.

PAVLVS TESTIS OCVLATVS IESV E MORTVIS SVSCITATI

Ex 1. Cor. XV. 8.

Superiori anno vobis, ciues carissimi,

ad confirmandam fidem vestram, veritatem resurrectionis Christi, nostri Seruatoris, ex vaticinio veteris testamenti, quod nobis Iesaias suppeditauit, probatam dedi. Iam, vt amicus consensus scriptorum veteris et noui testamenti simulque immutabilis DEI veracitas et scripturae sacrae pariter totiusque religionis nostrae diuina origo, vobis eo magis pateat, ex canone scriptorum noui foederis testimonium depromam.

Fuerunt vero inuictae huius veritatis testes omnes, quibus post suam è mortuis resuscitationem Iesus apparuit: quorum testimonium eo minus infringi potest, quo clarior eorum sanctitas, integritas, sana mentis constitutio, omnis commodi abstinentia et in subeundis maximis cruciatibus mira constantia. Neque ipsis nocet obiecta ab irrisoribus simplicitas et ruditas: sic enim voluit sapientissimum numen suae religioni prospectum, ne vnquam arte aut calliditate humanae scientiae ficta et composita videretur, neque profundae fraudis, vt vanae gentium religiones, argui posset. Praeterea rudes isti homines, omnes sapientes huius mundi, magna multarum rerum cognitione, qua ex miraculo diuinitus erant instructi, longe superabant; quod nec ipsi veritatis hostes, quos sinceritas à calu-

calumniarum libidine cohibebat, negarunt, stupefacti, cum indoctos Galilaeos variis linguis effari magnalia DEI audirent. (a) Ne tamen plane imperitae multitudinis coitionem, sanctum discipulorum Christi coetum, homines eruditionis auctoritate apud Iudaeos praesertim pollentes, contemtim appellarent et omni assensu vel etiam confutatione indignum haberent: vltimus demum omnium apostolorum PAVLVS excitatus est, cui nihil Iudaicae pariter et gentilis eruditionis deerat.

Cum igitur Christus è mortuis suscitatus, omnibus suae resurrectionis testibus, apparuisset, postremo huic etiam se viuum manifestauit. Cuius testimonium eo firmius grauiusque est, quod ex acerrimo christianae religionis hoste fortissimus eius propugnator factus erat. Quemadmodum igitur ipse eam ingressus est viam, Corinthiis demonstrandi resurrectionis veritatem, vt produceret testes oculatos alios, qui Christum, postquam in vitam redierat, viderant, et suum tandem testimonium adiiceret, ἔσχατον, inquiens, δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί, *nouissime omnium, tanquam foetui abortiuo apparuit, etiam mihi:* ita ex hoc potissimum iam fidei nostrae robur hauriemus.

(a) Actor. II, 7.

Erit vero statim ab initio quaestio, vbi et quando Christus post resurrectionem suam Paulo apparuerit. Si enim historiam apostoli euoluimus, diuerso modo, diuersisque temporibus et diuersum in finem ipsi Dominum apparuisse, inueniemus. Primum in via Damascena; quae omnium prima apparitio Paulum à ferocia sua ad meliorem animum reducebat, Actor. IX. 3. 4 5. Actor. XXII. 7. et seqq. Deinde vidit Dominum per ecstasin, cum in templo Hierosolymitano oraret. Actor. XXII. 17. Post Corinthi per visionem nocturnam admonitus est à Domino, vt animo imperterrito ibi euangelium praedicaret, quoniam magnum populum sibi elegisset. Actor. XVIII. 9. Tum nocte adstitit Paulo Dominus Hierosolymis, et, è medio synedrio, ne ab hostibus discerperetur, à militibus raptum atque in castra deductum, confidere iussit, quoniam aeque constanter Romae de se, ac Hierosolymis eum attestari oporteret. Actor. XXXIII. 11. Postea, cum naui Romam veheretur, imminente naufragio, adstitit ipsi nocte angelus DEI, cuius erat et cui etiam seruiebat, dicens: ne metue Paule, oportet te Caesari sisti et ecce gratificatus est tibi DEVS omnes, qui tecum nauigant. Actor. XXVII. 23. Quibus demum adiicere possumus

ra-

raptum eius in tertium coelum, vbi ineffabilia verba audiuit, cuius viſionis et reuelationis Domini ipſe mentionem iniecit. 2. Cor. XII. 2. Harum ſex apparitionum tres poſteriores acciderunt ipſi, poſtquam priorem ad Corinthios epiſtolam ſcripſerat; ſcripſit vero eam Epheſi, cum ibi anno Caeſaris Claudii vndecimo et duodecimo per biennium ageret, ex LVDOVICI CAPELLI (b) ſententia: vel, vt alii volunt, anno tertio imperii Neronis. (c) Id quidem certum eſt, ſcripſiſſe eam Paulum, cum Aquila et Priſcilla, qui ei Corinthi hoſpitium praebuerant, Actor. XVIII. 2. inde profecti iam Epheſi agerent, quo etiam Paulus, Actor. XII. 1. reuerſus eorum nomine Corinthios, quibus, annum et ſex menſes amplius apud eos verſati, notiſſimi erant, (d) ſalutauit. 1. Cor. XVI. 19. Quae cum ita ſint, ad nullam harum poſteriorum apparitionum Paulus in loco noſtro ſupra adducto reſpicere potuit.

Inter tres priores, neque duae vltimae hic alligari poſſunt, ex quibus apoſtolus argumentum, pro veritate reſurrectionis

(b) In Hiſtoria Apoſtolica illuſtrata, Salmurii 1683. p. 70. coll. p. 21.

(c) Summe, reuer. IOACHIM. LANGIVS, in Commentatione hiſtorico hermeneutica de vita et epiſtolis apoſtoli Pauli. Part. II. Sect. I. c. I. m. III.

(d) vid. eundem I. c. P. I. Sect. II. c. III. §. 40. etc. IV. §. 8.

ctionis Christi probanda, sumtum voluerit. Vna enim apparitio Hierosolymis per *ecstasin*, altera Corinthi per *visionem nocturnam* facta est. Vterque reuelandi modus internus est, vbi externus sensuum vsus cessat. Per *ecstasin* enim abripiuntur omnes animae vires, ad intuendum attentius et penitius ea, quae diuinitus excitatae imaginandi facultati repraesentantur, quo fit, vt corpus quasi exanime videatur. Quod Iohannes in *spiritu esse*, Apocal. 1, 10. et Ezech. 1, 3. Cap. III, 2. יד יהוה *manum* vel *potentiam* Domini vocant, et Paulus ipse, raptus in coelum tertium, nescit, an in corpore an extra corpus fuerit. (e) Nocturnae vero visiones sunt diuina somnia, quae sopore obrutis obueniunt, vt Iacobo Patriarchae. (f) DEVS quidem sapientissimus variis semper reuelandi modis vsus est; iis tamen, qui per sensus externos fiunt, ad conuincendum animos, maiorem virtutem et dignitatem ipse tribuit. Haec ipsa Mosis à caeteris Prophetis erat distinctio, quod omnia, quae ipsi DEVS manifestauit, integris semper sensibus externis percepit. Quod etiam ipsum numen diuinum de eo praedicat, (g) *in os*, inquiens, *alloquor eum, adeo vt speciem et simi-*

(e) 2. Cor. XII, 2.
(f) Genes. XLVI, 2.
(g) Numer. XII, 8.

militudinem Iehouae intueatur ac non per aenigmata. Quod alibi (h) ita exprimitur: *alloquebatur Iehoua Moſen facie ad faciem, quemadmodum alloqui ſolet quis amicum ſuum.* Ipſe Seruator, poſtquam reſurrexerat, vt timidos ſuos diſcipulos de vera ſua reſurrectione conuinceret et eiiceret ex eorum animo phantaſmatis opinionem, ad ſenſus, veraces teſtes, prouocauit, ipſis manus ſuas latusque ſuum oſtendens: (i) qua ratione etiam Thomam ex incredulitatis ſcilla eripuit. (k) Hinc et Iohannes ſcribit, (l) *quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus et manus noſtrae contrectarunt de ſermone illo vitae: quod, inquam, vidimus et audiuimus, id annunciamus vobis.* Omnino enim requirebatur in iis, qui teſtimonium inexpugnabile perhibere debebant, vt et ipſi ſcirent, ſe non vana perſuaſione deceptos eſſe; ſed integris et incorruptis ſuis ſenſibus omnia percepiſſe: et aliis id certo aſſeuerare poſſent. Si etiam vllum aliud dogma tanta conuictione opus haberet, id erat de reſurrectione Chriſti, cum iam ante in fraudis ſuſpicionem diſcipulos eius hoſtes trahere malient. (m)

(h) Exod. XXX. 11.
(i) Ioh. XX. 20.
(k) Ibid. v. 27.
(l) 1. Ioh. I. 1. 2.
(m) Matth. XXVII. 65.

Tantum itaque aberat, vt suum testimonium his apparitionibus inniti vellet ipse Paulus; vt potius se classi eorum adiungeret, qui oculis viderunt, et auribus audierunt, Christum omnino resurrexisse: quales omnes fuerunt, quibus ante ipsum Christus post resurrectionem suam apparuit. (n) Et quamuis, suam indignitatem perpendens, se minimum vocaret apostolorum: (o) ratione tamen diuinae auctoritatis, quam à Domino acceperat, ceteris inferiorem esse noluit. Ad quam stabiliendam omnino etiam pertinebat, quod Dominum, vt ceteri, viderit. Idcirco iam ante, quam ad demonstrandam veritatem resurrectionis ventum erat, ad Corinthios scripserat: (p) *Nonne sum apostolus? nonne sum liber? nonne IEsum Christum Dominum illum nostrum vidi?*

Restat igitur omnium prima, quae apostolo in via Damascena ex improuiso accidit. Vbi et discipulus Iesu et apostolus vocatus cognouit, quem persequeretur, non esse mortuum; sed viuere. Haec apparitio cadebat in sensus externos: vidit enim, appropinquans Damasco, circiter meridiem, repente è coelo circumfundentem se lucem multam, vt fulgur, (q) cuius magnifico

(n) 1. Cor. XV. 5. seqq.
(o) l. c. v. 9.
(p) 1. Cor. IX. 1.
(q) Actor. IX. 3. c. XXII. 2.

gnifico splendore oculorum acies praestincta erat, vt ipse exponit, (r) *quod post non viderit prae gloria lucis illius.* Quare manu deductus à comitibus, qui et ipsi lucem conspexerant, venit Damascum. Deinde audiuit etiam et quidem vocem (s) *IEsu Nazareni,* è mortuis suscitati et ad dextram Patris sedentis, quem à principibus populi sui supplicio affectum, trucidatum et sepultum iacere, falso sibi persuaserat. Hinc etiam Ananias, à DEO missus ad Paulum, vt rationem eius, quod in via ipsi acciderat, vberius dilucidaret, (t) *DEVS,* inquit, *patrum nostrorum designauit te, qui cognoscceres ipsius voluntatem, et videres iustum illum* (IEsum Nazarenum) *et audires vocem ex ore ipsius. Nam eris ei testis apud omnes homines, eorum quae vidisti.* Vbi bene obseruandum, quod testem futurum praedixerit, non eorum, quae visurus esset et auditurus; sed, quae iam viderat et audiuerat. Quae vero erant alia, quam, quae euenerant in via? Et de his ipsis ante Ananias dixit, quod viderit iustum, et audiuerit vocem ex ore ipsius. Ergone apparuit ipsi IEsus suscitatus è mortuis, cuius ipse testis fuit, in via Damascena? apparuit omnino: vti ipse Dominus exposuit, cuius

(r) Actor. XXII. 11. c. XXII. 8.
(s) Actor. IX. 4. 5. seqq.
(t) Actor. XXII. 6.

cuius verba ad se dicta verbosius ita recitauit Paulus (u) coram Agrippa: *At ille dixit: Ego sum IEsus ille quem tu persequeris. Sed exsurge et sta in pedes tuos: idcirco enim apparui tibi, vt designarem te ministrum ac testem tum eorum, quae vidisti, tum eorum, in quibus apparebo tibi.*

At, non vidit Paulus IEsum, post resurrectionem suam, vt ceteri discipuli eius atque apostoli; sed lucem tantum se clarius colluſtrantem sensit: imo, vidit ipsum, pro ea ratione, qua se IEsus, iam sedens ad dextram Patris manifestare volebat, et à mortalibus oculis conspici poterat. Ceteris apostolis et discipulis apparuit Christus, quamdiu post resurrectionem suam in terris versabatur, antequam, assumtus in coelum, sedem ad dextram Patris occupauit: tunc omnino nondum vsus plena maiestatis diuinae gloria, corpus suum oculis intuendum et manibus contrectandum exhibebat. Postquam vero splendore gloriae diuinae circumdatus fuit; sensus humani tam immensae lucis non erant capaces. Habitat enim Filius aeque ac Pater, cum quo eiusdem est substantiae, in luce inaccessa. (x) Quod Paulus experientia doctus est; cum enim apparuisset ipsi

(u) Actor. XXVI. 16. (x) 1. Tim. VI, 16.

ipſi Dominus, prae gloria lucis videre non potuit. (y) Nihilominus vidit Dominum.

Quamuis Moſes ab ipſo DEO, illius faciem *ſe videre* non poſſe, doctus eſſet: (z) cum eo tamen locutus Deus dicitur à facie ad faciem: (a) quoniam, è viſibili ſigno ſingularis praeſentiae maieſtatis diuinae, clariſſimam et minime fallacem numinis manifeſtationem oculis auribusque percepit. Ita etiam Paulus, ſplendorem tantum gloriae Domini conſpicatus, ipſum Dominum vidiſſe recte dicitur.

Neque ceteri apoſtoli plus viderunt; in Chriſto enim, dum inter eos verſabatur, habitabat quidem tota Deitatis plenitudo σωματικῶς: (b) vbi vero ſe perfectiones eius in verbis et factis exeruerunt: non niſi ſplendorem viderunt. Qua de cauſa pro ea ratione, qua nobis cognoſcendus exhibitus fuit à Patre, ἀπαύγασμα τῆς δοξῆς, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *ſplendor gloriae et character ſubſtantiae illius* nominatur. (c) Poſt reſurrectionem quidem intuiti ſunt corpus, manus et latus eius: intuiti ſunt Chriſtum, ſecundum humanam naturam euehendum ad gloriam; Paulus vero iam euectum vidit, vti Stephanus, cui etiam

(y) Actor. XXII. 11.
(z) Exod. XXXIII. 10
(a) l. c. v. 11.
(b) Col. II. 9.
(c) Ebr. I. 3.

etiam post ascensum in coelum gloria DEI et Christus stans ad dextram DEI apparuit. (d)

Quae si consideramus, ad nullam aliam apparitionem sibi factam, Paulus prouocare potuit, veritatem resurrectionis Christi testaturus, quam ad eam, quae ipsi in via Damascena, spiranti minas ac caedem aduersus discipulos Domini, accidit. Vbi tot inuicta argumenta occurrunt, quot verba Dominus, ad gloriam suam elatus, cum Paulum interpellaret, protulit. Neque etiam alio, quam huc respicere voluit apostolus; quoniam sibi, ἐκτρώματι *foetui abortiuo*, apparitionem factam, addidit. Quod nomen à naturalis foetus exitio, ad perditam animae conditionem translatum, Paulo nunquam magis conuenit, quam conuersionis eius initio. Depingit enim et comprehendit primo Pauli statum gratiae priorem; deinde lapsum eius ex eo; et postremo, restitutionem eius per immensam DEI misericordiam.

Quod ad Pauli statum gratiae priorem adtinet, ipsi per circumcisionem (e) collata erat fides, quae postea studio legis et prophetarum nutriebatur. Hinc et ipse Paulus ad Galatas scribit (f), *libuit DEO, qui me*

(d) Actor. VII. 55.
(e) Phil. III. 5.
(f) Gal. I. 15.

me SEPARAVERAT AB VTERO MATRIS MEAE, et vocauit per gratiam ſuam etc. Haec erant prima ſtamina vitae ſpiritualis.

Deinde, cum peruerſa Phariſaeorum doctrina imbutus, et innumeris praeconceptis opinionibus obſeptus, Chriſti doctrina vitaque offenderetur, eumque et eccleſiam eius omni violentia perſequeretur: deſinebat creſcere, et omni vita ſpirituali quaſi in primo flore penitus extincta, ſimilis factus eſt foetui abortiuo, qui praemature cum vehementiſſimis matris doloribus excluſus, mortuus, ſine vlla ſpe, proiicitur. Abortus nec vitam habet in ſe nec ſpem vitae: Saulus, ante conuerſionem, fide, quod eſt principium interioris vitae ſpiritualis, deſtitutus erat, (g) ſe vnum omnium maximum peccatorum (h) poſt ipſe appellans; neque vllas per ſe redeundi ad vitam vires habebat; ex ſola miſericordia DEI reſtitutus. (i) Salomon foetum abortiuum meliorem iudicat auaro, dixitque de eo, quod *ſolem non videat, neque quicquam cognoſcat.* (k) Vbi paraphraſtes chaldaeus illud ad mentis caecitatem retulit, *etiam* inquiens, *lucem legis non videt, neque nouit diſcrimen inter bonum ac ma-*

(g) 1. Tim. I. 13.
(h) l. c. v. 15.
(i) 1. Cor. XV. 10. 1. Tim. I. 13.
(k) Eccleſ. VI. 5.

malum, ad perscrutandum, quid inter hunc mundum et futurum interſit. Saulus, inſtar eiusmodi perditi foetus, etiam tenebris obſeptus erat, et in via veritatis occoecatus, qui ſuam ipſe poſtea confeſſus eſt *ignorantiam et incredulitatem.* (l) Vnde fiebat, vt eſſet *blasphemus, perſecutor et contumelioſus.* Hinc etiam, vti abortus funditur cum exquiſitis matris doloribus, ita Saulus tantopere laedens eccleſiam, ipſi pene exitialis fuit, *ſpirans minas ac caedem aduerſus diſcipulos Domini.* (m)

Eſt et Ἔκτρωμα immaturus foetus, qui necopinato eiicitur; idque ſaepius violento caſu: ita Paulus, cum iam natus eſſet ex circumciſione et verbo prophetarum, imprudens et incautus, auctoritatis praeiudicio abreptus et in ſummum perniciei periculum adductus, ex gratia DEI excidit. Sunt quidem, qui haec referre velint ad Pauli reſtitutionem, quod Paulus apoſtolus factus ſit, nil tale cogitans. Sed quis velit in foetu mortuo, qui praeter opinionem effunditur, vitam quaere? idque in proiectitio cadauere, cui ſimilis erat Saulus ante ſuam conuerſionem, vt ea de cauſa ſeipſum apoſtoli dignitate, quam Ἔκτρωμα nequaquam includere poteſt, indignum iudicaret. En!

(l) 1. Tim. I. 13. (m) Actor. IX. 1.

En! Sauli perditissimum et maxime execrabilem statum! sed eo amplior, eo magnificentior facta est in eo gloria immensae misericordiae et omnipotentiae Domini.

Proiectus erat, sed Dominus transiit, et, quum videret eum praebentem se conculcandum in sanguine suo, dixit ipsi: in sanguine tuo viue! dixitque iterum, in sanguine tuo viue! (n) Qui mortuus, coecus, contemtus erat in oculis DEI, vitam, lucem accipit, et suauitatem: Ἔκλεκτὸν σκεῦος ἐκλογῆς; foetus detestabilis, vas DEI electum: (o) foetus abortiuus, et vitam et aetatem simul nanciscitur, factus discipulus IESU et Apostolus. O! profundissimas diuitias et sapientiae et cognitionis DEI!

Paulus itaque quam maxime conuictus de virtute Domini immensa, firmum omnino de eius resurrectione testimonium perhibere poterat. Collustratus enim et illustratus ab illo, Dominum cognouit, lucem è tenebris producentem: viuus vero in Christo redditus, viuere sentiebat et non apud mortuos esse, qui vitam in se haberet. Apparuit ipsi Dominus, vt lux, vt vita, vt veritas. Cognouit ergo Paulus in sua conuersione virtutem immensam,

qua

(n) Ezech. XVI, 6. (o) Actor. IX, 15.

qua Christus suscitatus è morte ad dextram DEI sedet. Quam ita etiam suis Ephesiis exposuit: (p) *Vt DEVS Dominus nostri IEsu Christi, pater ille gloriae, det vobis spiritum sapientiae et reuelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestrae, ad sciendum, quae sit spes illa vocationis ipsius, et quae opes gloriae haereditatis ipsius, in sanctis, et quae sit supereminens illa magnitudo potentiae ipsius in nobis; qui credimus pro EFFICACITATE ROBORIS VIRIVM IPSIVS, QVOD EXERVIT IN CHRISTO, QVVM SVSCITAVIT EVM EX MORTVIS, ET COLLOCAVIT AD DEXTRAM SVAM IN COELIS.*

Hanc itaque et vobis, filii carissimi, quorum nec ego in precibus meis meminisse cessabo, hanc, inquam, virtutem immensam, qua Christus è mortuis suscitatus est, vobis apprecor, vt viuos reddat et sanctos animos vestros, et mentis vestrae oculos illuminet, vt non aliam quaeratis sapientiam, quam, quae est in Christo mortuo et suscitato, quae Iudaeis scandalum est; graecis vero, hominibus ex modulo suae corruptae rationis omnia emetientibus, stultitia. Laborate et contendite, vt, quum natura sitis ἐνλεώματα, *execrabiles foe-*

(p) Ephes. I, 17.-20.

foetus; ſuaues filii DEI, virtute diuina in Chriſto vnigenito Patris geniti, euadatis, et *electa* tandem *vaſa* gloriae nominis diuini. Quam obtinebitis felicitatem, ſi non repugnaueritis potentiae Chriſti, quae enecabit vim veteris hominis, vt viuatis in ipſo, per viuificatricem gratiam. Tum enim quam certiſſime conuicti, gaudebitis, quod Chriſtus, ſalus veſtra, ſurrexerit. PP. Stargardiae ad Ihnam. Fer. I. Paſchatos clolocccxxx.

MEDITATIO VI.

CHRISTVM E MORTVIS SVSCITATVM TERTIO DIE SISTENS

EX HOSEAE VI. 2.

Dominus ſurrexit!

Nullum occurrit in tota vitae et mortis IESV NAZARENI hiſtoria momentum, cuius non veſtigia manifeſto inueniamus in antiqui foederis monumentis et deprehendamus. Quod eo minus mirandum nobis perpendentibus, IESVM ſolum eſſe centrum, ſtellam, ſcopum, quo vtriusque foederis ſcriptorum et vaticinia et rerum geſtarum expoſitiones et doctrinae omnes tendunt, reſpiciunt, collimant: immo vero vnicam veritatem, quae à primo parentum noſtrorum lapſu patefacta,

illustrata et declarata fuit. Quare, vt conspirant amicissime secum inuicem prophetae et apostoli atque consentiunt; ita omnis nostrae religionis veritas robur habet minime expugnabile. Inde etiam in aduersariis salutaris de IESV CHRISTO, quae in noui foederis scriptoribus extat, doctrinae certitudo adeo vim suam exeruit conuincendi, vt ex oppugnatoribus, assertores facti sint.

Nihilominus inuenti fuere homines vel ex mentis imbecillitate semper titubantes, vel emunctae naris gloriam, tanquam in mustaceo laureolam, aucupaturi, qui veteris et noui testamenti in omni re consensionem nonnihil solicitarunt. Quod aliqui potissimum fecere in capite de CHRISTI *resurrectione*, ex scriptis prophetarum monstranda. Rem quidem ipsam nunquam potuerunt in dubium vocare, quandoquidem non solum IESAIAS eam satis clare et aperte praedixit, (a) *ex angustia*, inquiens, *et iudicio assumtus est, quis enarrabit aetatem ipsius?* quod vaticinium iam duobus abhinc annis vobis, carissimi ciues, expositum dedi: (b) sed PETRVS etiam, apostolorum princeps, ex libro psalmorum in sua, pro Spiritu Sancto diuinitus effuso, pro-

(a) Ies. LIII. 8.
(b) in medit. de *Messia è mortuis ad vitam ineffabilem assumto*, a. 1729.

propugnatione, (c) luculentissime demonstrauit: in rebus autem circumstantibus inhaerescunt, negantes, patuisse ex vatibus veteris testamenti, CHRISTVM tertio die resurrecturum.

Cum vero, quod si ita sit, ipsa PAVLI, sanctissimi viri, fides, quod Deus prohibeat! laboret, qui, cum suos Corinthios veritatem resurrectionis CHRISTI doceret, nominatim scripsit, CHRISTVM *tertio die suscitatum esse secundum scripturas:* iam operam dabo, vt, quo quasi per digitum monstrauerit apostolus, inuestigem, et conuincturus dubios et fidem nostram confirmaturus.

Plurimae veritates sub antiqui foederis oeconomia imaginum, quos typos vocant, inuolucris et integumentis obnuptae erant. Ea enim erat fidelium noui foederis praestantia prae iis, qui in veteri ecclesia iudaica viuebant, vt quae hi in vmbra, illi in aprico contuerentur. Habebat igitur etiam resurrectio CHRISTI, quoad tertio die facta est, suas figuras suosque typos. Licet enim neminem vnquam inueniamus, qui tertio post mortem die ex inferis excitatus sit, quod solius CHRISTI proprium est: hunc tamen *ternarium numerum* dierum, casibus hominum fatalibus inesse

(c) Ex *Psalmo* XVI. 10. in Actor. II. 25. seqq.

videmus, qui aliqua ex parte CHRISTI effigiem sustinuerunt. ISAACVS filius Abrahami vnicus, iussu Dei mactandus et sacrificandus, *tertio*, ab itinere mortis susceptо, *die*, iam altari impositus, seceſpitae subiectus, in vita conseruabatur. (d) HISKIAS morbo exitiabili correptus, *tertio*, post perceptam mortis sententiam, *die* assurrexit et in templum ascendit: (e) et IONAS ex ceti abysso viuus *tertio die* reddebatur. (f) Nec indubii sunt ISAACVS et IONAS typi, quoniam illum, vt dicit PAVLVS, Abrahamus pater ἐν παραβολῇ *in typo*, recepit; (g) in hoc vero CHRISTVS ipse sui, *tertio die* suscitandi è mortuis, imaginem ostendit. (h) Arcana, quae Iudaei inuestigare volunt, (i) *in tertio die*, quo IOSEPHVS, tum Aegypti dominus, fratres suos, tanquam emissarios, in custodiam traditos, emiserat; (k) *in tertio die*, quo lex in monte Sinai inter tonitrua et fulgura promulgabatur; (l) *in triduo*, per quod exploratores Ierichuntis, iussu Rahabis, in montanis latuerant, ne à per-

(d) Genes. XXII. 4.
(e) 2. Reg. XX. 5.
(f) Ion. II. 1.
(g) Hebr. XI. 19.
(h) Matth. XII. 40. Quos typos etiam WITSIVS obseruauit in *Symbol. Apostol.* Exerc. XIX. §. 40.
(i) In *Breschith Rabba*, ad Gen. XXII. 4. vid. IOH. PHILIPP. STORRE, de V. R. C. contra Iudaeos. p. 1. c. 17. p. 184.
(k) Gen. XLII. 18.
(l) Exod. XIX. 16.

perſequentibus deprehenderentur; (m) in *triduo*, quo reduces è captiuitate babylonica commorati ſunt ad fluuium, qui Ahauam alluit; (n) et *in tertio die*, quo regie induta Eſthera, coram rege gratiam inueniebat, (o) praetermittemus hic plane et relinquemus. Si enim vel maxime tempori Chriſti reſurrectionis commode applicari poſſent; piae tamen accommodationes tantum eſſent, nil certi ſuppeditantes, an idem rerum ſenſus profundior fuiſſet Spiritus Sancti.

Sed, vti typos illatos nunquam ſibi apoſtolus potuit ante oculos proponere: ita, κατὰ τὰς γραφὰς, inquiens, *ſecundum ſcripturas*, ne innatos quidem reſpexit. Nam vbi ad ſenſum literalem prouocat, eumque exponit, allegat τὴν γραφὴν, ſcripturam; altiorem vero ſenſum vel τύπον, *typum* (p), vel *vmbram* (q), vel *allegoriam* (r), vel παραβολὴν (s) appellitat. Neque aliter id, quod dicit κατὰ τὰς γραφὰς, *ſecundum ſcripturas*, ſumendum eſt hic, quam in iis, quae antecedunt: vbi CHRISTVM mortuum pro noſtris peccatis et ſepultum et ſuſcitatum dicit, *ſecundum ſcripturas*; quip-

(m) Ioſ. II. 16.
(n) Eſdra VIII. 15.
(o) Eſth. V. 1.
(p) Rom. V. 14. Ebr. VIII. 5.
(q) Col. II. 17. Ebr. l. c.
(r) Gal. IV. 24.
(s) Ebr. IX. 9. c. XI. 19.

pe quae haec omnia secundum sensum literalem asseuerant, prouti ex IESAIAE vaticiniis et DAVIDIS psalmis satis luculenter patet. Adeoque nec alio PAVLVS animum intendit, quam vbi verbis expressis, messiam mortuum tertio die in vitam restitutum iri, praedictum est.

Quare operae pretium est, ea de causa scripturas perscrutari. At, perscruteris licet; nullum inuenies alium locum, quam qui apud HOSEAM extat, *Vitae restituet nos post biduum; tertio die excitabit nos, et viuemus coram ipso;* imo vero, hic ipse est, quo apostolus oculos intendit, vt non satis mirari possim, ANTONIVM HVLSIVM, qui alias CHRISTVM, verum messiam in scriptis prophetarum satis diligenter inuestigauit, et à Iudaeorum obtrectationibus vindicauit, „ probare nolle sententiam istorum Chri- „ stianorum, qui ex dicto loco nimis dire- „ cte et quasi argumento apodictico IESU „ Christi per biduum in sepulchro moram, „ et tertiam resurrectionis diem eliciunt; „ sed opinari, si sensum spiritualem, quem „ secundario intendit propheta, respicia- „ mus, non incommode acceleratum sa- „ nationis nostrae terminum, veluti mor- „ tis et resurrectionis IESU Christi, siue exi- „ guae eius in morte morae, fructum, ex „ hoc

„ hoc loco colligi. (*) Videmus enim PAVLVM eiusdem fuiſſe ſententiae, cui HVLSIVS calculum adiicere noluit, quippe qui prae ceteris etiam HOSEAM in oculis atque deliciis habuit, eundemque in rebus oeconomiae noui teſtamenti demonſtrandis ex veteri teſtamento, ſaepius teſtem produxit. Ita Rom. IX. v. 25. 26. nominatim ad eum prouocat, vbi de vocatione gentium, quae ex *non-populo Dei*, *populus Dei* factae ſunt, ſermo eſt, et cuius in confirmationem, ex Hoſeae II. v. 22. et Cap. I, 10. duo loca protulit: Philippenſibus hoſtes crucis Chriſti, quorum *gloria in ignominiam conuertitur*; (t) et Ebraeis ſuis, fidelium noui teſtamenti *victimas laudis* ex HOSEA deſcripſit. In (u) ipſo etiam hoc capite epiſtolae prioris ad Corinthios, quo veritatem doctrinae de Chriſti pariter et omnium reſurrectione, quae illi tanquam firmiſſimo fundamento innititur, comprehendit, mortis excidium ex HOSEA probauit, (x) τότε γενήσεται, inquiens, ὁ λόγος γεγραμμένος. Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, πῦ σου θάνατε τὸ κέντρον; πῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; *Tunc fiet ſermo ille, qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt mors ad victoriam; vbi tua, ô mors! victoria? vbi tuus,*

(*) In Theol. Iud. lib. I. p. 305.
(t) Phil. III 19. ex Hoſ. IV. 7.
(u) Ebr. XIII. 15. ex Hoſ. XIV. 3.
(x) 1. Cor. XV. 54. 55.

ô inferne! aculeus? quae posteriora desumta ex HOSEA, (y) ab alexandrina versione: πῦ ἡ δίκη σῦ θανατε; πῦ τὸ κέντρον σῦ, ᾅδη; haud multum abhorrent.

Neque PAVLVS, ex scriptis prophetarum *tertium diem* Christi resurrectionis adserturus, alio respicere potuit, quam ad HOSEAE locum commemoratum, quia et ipse propheta ibi nihil aliud praedicere voluit; quicquid delirent Iudaei, de *duplici templo vastato et tertio futuro*, aut de *gemina captiuitate aegyptiaca et babylonica, et ex hodierna tertia liberatione.* Nam, ex more consueto prophetarum, HOSEAS etiam concionibus grauibus, de tristibus, populi ebraei eiusque regni in duas partes discissi, fatis, in solatium et fidei robur paucorum piorum, laeta immiscet vaticinia, de salutaribus, venturi Messiae, temporibus, vt spem futurae salutis nutriat, augeat et confirmet. Horum vero signa inuicta suppeditauit.

Viuificationem enim post biduum et in tertio die resuscitationem, eo tempore futuram praedicit, quo vtrumque regnum et Iudae et Israelis contritum, desolatum (z) et deportatum, (a) et messis Iudae reliqua esset, soluta captiuitate: (b) quo Deus

(y) Hos. XIII. 14.
(z) Hos. V. 9. 10. 11. 12. 14.
(a) v. 14.
(b) Cap. VI. 11.

Deus reuerſus eſſet in locum ſuum, (c) deſtructo priori templo, et ceſſante demum in poſteriori templo inſtaurato, praeſentiae ſingularis numinis diuini per ſigna externa manifeſtatione, quum inſtaret gloria huius multo excellentior, prae illius gloria. (d) Quae omnia vere accidebant in vltima tempora oeconomiae veteris teſtamenti, et in eum praeſertim articulum, qui erat initium oeconomiae noui foederis. Quod eo magis clarant ſigna, quae porro veridicus veri Dei interpres innuit. Quum nempe praedicaretur poenitentia et remiſſio peccatorum et proclamaretur: *agite reuertamur ad Dominum.* (e) Quod fiebat per IOHANNEM, à CHRISTO praemiſſum, (f) per CHRISTVM ipſum, (g) et demum per apoſtolos, (h) poſtquam IESVS è mortuis ſuſcitatus erat: quippe qui omnium maxime inſignis fuit reſurrectionis CHRISTI finis atque euentus. Quum ſpes eſſet ſanationis atque ſalutis in ſolo Domino, (i) qui ſanabit omnes morbidos et vulneratos obligabit. Quod tempus erat, quo Chriſtus omnes noſtros morbos portauit et dolores noſtros ſuſcepit. (k)

(c) Cap. V. 15.
(d) Hagg. II. 8. 11.
(e) Cap. VI. 1.
(f) Matth. III. 2. 8.
(g) Matth. IV. 17.
(h) Luc. XXIV. 47.
(i) Hoſ. V. 13. VI. 1.
(k) Eſa. LIII. 4. Matth. VIII. 17. c. IX. 12.

Quum gratia et misericordia, non sacrificia locum inuenirent; quum Dei cognitio praestantior esset holocaustis. (l) Quem sui temporis characterem ipse Christus exposuit, (m) quo cessarent sacrificia, vmbra, praesente corpore; (n) quo veri adoratores patrem adorarent in spiritu et veritate. (o) Quum tanquam aurorae comparatus esset ortus Iehouae. (p) Quae erant initia noui testamenti; postquam apparuit *ortus ex altitudine*, quem vobis iam alio tempore exposui; (q) postquam salus propior facta est, nox praeteriit et dies appropinquauit. (r) Quum in tanto splendore orientis solis iustitiae nihilominus perfide agerent Iudaei contra Iehouam (s), et sodalitium sacerdotum esset simile praestolantibus aliquem turmis. (t) Quod fiebat eo tempore, quo lux veniebat in mundum et mundus eam non agnouit; quo Christus ad sua veniebat et sui non receperunt illum: (u) quo summi sacerdotes et legis periti, iniustum et nefarium sodalitium, quaerebant, vt iniicerent in CHRISTVM manus; quo miserunt contra eum

(l) Hos. VI. 6.
(m) Matth. IX. 13. XII. 7.
(n) Col. II. 17.
(o) Ioh. IV. 23.
(p) Hos. VI. 3.
(q) a. 1728. medit. in festum natiuit. Christi, *de ortu ex altitudine.*
(r) Rom. XIII. 12.
(s) Hos. VI. 7.
(t) Hos. VI. 9.
(u) Ioh. I. 10. 11.

eum emiſſarios, vt caperent eum in ſermone, et traderent iudicio et poteſtati praeſidis; (x) ad quorum ſcelus demum Iudas adiutor fuit. Quum denique aduenturus eſſet dominus fidelibus vt pluuia, tanquam ſerotina et tempeſtiua terrae. (y) Quod euenit in ipſa effuſione Spiritus Sancti, quae reſurrectionem et aſcenſionem Chriſti ſequebatur. (z) Quae, ſi perpendimus, extra omnem controuerſiam poſitum erit, eam, quam praedixit HOSEAS, *viuificationem* poſt *biduum* et excitationem è mortuis *die tertio*, in nullum aliud tempus accidere, quam in IESV NAZARENI aetatem. Neque vetus eccleſia Iudaica negauit, eam temporibus Meſſiae futuram. Quandoquidem, teſte RAYMVNDO MARTINI, (a) in *Breſchith Rabba* (b) locus noſter ex Hoſeae Cap. VI. 2. de tempore regis Meſſiae

(x) Luc. XX. 19. 20. Matth. XXI. 45. 46. XXII. 15. Marc. XII. 12. 13.

(y) Hoſ. VI. 3.

(z) Act. II. 22. 23.

(a) In *Pugione fidei* fol. 877. §. V.

(b) ad Geneſ. XXII. 4. verba Ebraea ſunt: ונהיה לפנינו שהוא מלך המשיח שני יהוה אלוהים צבאות השיבנו האר פניך ונושעה, *et viuemus coram ipſo.* Hoſ. VI. 2. Eſt Rex Meſſias; ſcriptum enim eſt. pſ. LXXX. 8. *O Deus exercituum etc.* Quae quidem non inueniuntur in editione Francofurtana, per recentiorum iudaeorum forſan nequitiam iecta, vti iam obſeruauit, IOH. PHILIPP. STORRE in libro germanico, de *Veritate religionis Chriſtianae contra Iudaeos*, p. I, c. XVII, p. 184.

siae exponitur; in cuius vberiorem confirmationem ibidem etiam verba psalmi LXXX. 8. adducuntur: *O Deus exercituum restitue nos, et fac vt luceat facies tua; ita seruabimur.*

Quare non est, quod tam temere *Aben Esram* sequamur, et tam frigide ad linguae idiotismum prouocemus: quasi id, quod de *biduo* et *tertio die* dicatur, nihil habeat, praeter nudum hebraismum, quo castigationis breuitas exprimatur. Si enim talis esset, pluribus exemplis paribus procul dubio posset confirmari. Non autem ex linguae consuetudine; sed, ad vitae restitutionem singularem significandam, et *biduum* et *tertius dies* insigniter adhibita sunt, quam intra illud temporis interuallum, quod vates diuinus circumscripsit, inuestigare debemus. Est autem nulla alia, quam IESV NAZARENI, qui per *biduum* in sepulcro commoratus, tertio die surrexit è mortuis.

Non quidem de singulari; sed de plurium loquitur propheta resuscitatione. Quod interpretationis sacrarum scripturarum peritis nequaquam mirum videtur; quippe qui iam obseruarunt, *scripturam saepe de Christo et corpore eius mystico velut de vna persona loqui, cui quaedam tribuuntur, quae*

quae tantum in caput, quaedam quae tantum in corpus competunt, quaedam vero in vtrumque; quem canonem iam dudum TICONIVS AFER conſtituit et AVGVSTINVS confirmauit. (c) Neque rei natura hic aliter requirit. Viuente capite, quod eſt Chriſtus, omnia membra viuunt. Eandem clauem aperiendi diuinarum ſcripturarum occulta nobis in manus tradidit apoſtolus, *quando, inquiens, vnum membrum dolet, omnia compatiuntur et ſi glorificatur vnum membrum, omnia membra glorificantur. Vos autem corpus eſtis CHRISTI.* (*) Quodſi ergo ab vno membro ad aliud tranſire licet; quanto magis à capite, quod princeps et incrementum et vita corporis eſt, ad omnia membra progredi poſſumus. Qua ex ratione fideles etiam ſecundum ſenſum literalem recte è mortuis ſuſcitati dicuntur, quum CHRISTVS ſuſcitatus fuerit. Neque incongrue atque inconuenienter, de reſurrectione CHRISTI, ſermonem exponimus, qui eſt de fidelium reſurrectione. Nam ſolus ille ſeruator noſter *reſurrectio et vita eſt.* (d) Sicuti in primo noſtro parente, totius gentis humanae auctore, omnes

(c) IOH. IAC. RAMBACHII *Inſtitut. Hermeneutic.* II. 1. p. 115. AVGVSTINVS *de doctrina Chriſt.* L. III. c. XXXI. p. m. 115.

(*) 1. Cor. XII. 26.

(d) Ioh. XI. 25.

mnes per istius lapsum, facti sumus mortis rei: sic in CHRISTO vitam obtinemus atque resurgimus. (e) Quapropter fideles cum CHRISTO *resurrexisse* (f) et *similitudine resurrectionis cum eo coaluisse* PAVLVS asseruit. (g) Pii etiam veteris testamenti, quibus tam insignia solatia annuntiauit diuinus vates, tanto magis expectatum miseriae et calamitatis leuamentum inde captabant, quo propius MESSIAE resuscitationem ad se spectare perspiciebant. Nam, vti vna ecclesia est; ita vnius corporis membra sunt, tam fideles veteris, quam noui testamenti, et vnius corporis vnicum caput est Christus. Excutiebantur inde terrores conscientiae et leniebantur angores, quos pro peccatis suis suaque damnatione capiebant, cum sibi vitam donari sentirent. Est enim illa ipsa resurrectio fidelium, quam in CHRISTO suscitato è mortuis, tanquam in capite suo, communem habent omnia verae et inuisibilis ecclesiae membra, nihil aliud, quam *iustificatio ac adoptio ad vitam aeternam: qua in hac vita ex aeterna morte iustitiae et irae Dei, ad veram spiritualemque vitam resurgimus.* (h) Quam apostolus dilucide explanauit Colossen-

(e) 1. Cor. XV. 22.
(f) Col. III. 1.
(g) Rom. VI. 5.
(h) MATTH. FLACIVS, in clav. Script. S. P. I, in voce, *resurgo* col. 1066.

lossensibus, *et sepulti estis*, inquiens, *cum Christo per baptismum et per eum resurrexistis cum eo, qui credidistis in virtutem Dei, qui excitauit eum à mortuis, et vos, qui mortui eratis per peccata vestra et eratis in praeputio carnis vestrae, viuificauit cum eo et condonauit omnia peccata nostra et deleuit in decretis suis contractum debitorum, qui erat contra nos, et sustulit ipsum è medio ac affixit ipsum cruci suae.* (i) Nec ignara fuit vetus synagoga huius resurrectionis spiritualis, quippe quae firmiter credidit, Messiae temporibus ingens fore miraculum, vt resurgant mortui et omnes incolae terrae habitabilis cognoscant verum Deum benedictum: (k) licet recentiores Iudaei, abnegata vita spirituali, falso persuasi sint, fore, vt temporibus sui Messiae, quem ad graecas calendas expectant, corpora mortuorum hominum ex terris reuiuiscant. Euenit quidem, vt in morte CHRISTI monumenta aperirentur, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surgerent, è sepulchris post illius resurrectionem egressi: (l) et eueniet etiam aliquando, eodem mortuorum et viuorum iudice redeunte, omnis carnis resurrectio; quum alii ad vitam aeternam,

(i) Col. II. 12.
(k) *Eisenmenger in entdeckten Iudenthum*, P. II. c. 16. p. 893.
(l) Matth. XXVIII. 52.

ternam, alii ad damnationem resurgent. Sed, vt illud tanquam tropaeum ex morte per virtutem Christi diuinam deuicta, reportatum, et arrha quasi ad euidentiorem probationem resurrectionis data: ita haec in piis atque fidelibus continuatio et amplificatio erit vitae, iam per resuscitationem spiritualem inchoatae. Qua propter etiam Seruator noster dicit: *sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi moriatur, viuet.* (m) Vti solis ortum et primam lucem plenus dies sequitur; ita carnis resurrectio excipit, continuat et amplificat vitam spiritualem. Vtraque à diuina virtute et immensa gratia diuina dependet; spiritualis vero suscitationis media praesertim sunt *verbum diuinum* et *baptismus*, quibuscum virtus et gratia diuina viuificatrix coniuncta est. Cuius imaginem *ros* exhibet, passim in prophetarum scriptis occurrens. Quare Iudaei mortuos per *rorem* suscitatum iri, vere quidem et rite asserunt, sed crasse atque illepide intelligunt et exponunt. (n)

Vos itaque, carissimi ciues, roris viuificantis iam participes facti fuistis in sancto initiationis lauacro. Nam non ignoratis nos, quotquot baptizati sumus, in CHRISTVM IE-

(m) Ioh. XI, 26. (n) *Vid. Eisenmenger*, l. c. p. 927.

IESVM, in mortem eius eſſe baptizatos: vna ſepulti ſumus igitur cum eo per baptiſmum in mortem, vt, ſicut ſuſcitatus eſt CHRISTVS ex mortuis in gloriam patris: ita et nos noua vita ambulemus. (o) Cum vero mortui ſitis et vitae reſtituti cum CHRISTO: mortui eſtis peccato, vt viuatis Deo per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Nolite igitur committere, vt ſerui ſitis peccati et mancipia cupiditatum veſtrarum: nolite membra veſtra arma iniuſtitiae peccato ſiſtere; ſed ſiſtite vos ipſos Deo, tanquam homines, qui ex mortuis reuixiſtis et Deo praebete membra veſtra arma iuſtitiae. Quod ſi hoc feceritis, ſplendebit in vobis ſol iuſtitiae, omnis ſapientiae fons atque origo, ſine quo nox atque denſiſſimae tenebrae in mente veſtra erunt, omnisque impietatis ſcelerumque ſedes. Deteſtamini igitur tam miſerum, tam infelix, tam perditum genus vitae, quae mors eſt: tradite vos virtuti et gratiae divinae, vt lux et vita in vobis oriatur et maneat, vos cum CHRISTO viuatis, et reſurgatis in eo ad vitam aeternam.

(o) Rom. VI, 5.

MEDITATIO VII.
DE
SPIRITV ARDENTE
EX IES. IV. 4.

Immensae Dei sapientiae pariter et φιλανθρωπίας singulare argumentum est, quod, quando per servos suos, prophetas, populo refractario, acerbissima iudicia denunciauit, maximis ea permiscuerit solatiis, et iucundissimis lenimentis. Nam, sicut pater, iusta ira charitate temperata, salutem liberorum, non perniciem quaerit: ita benignissimum Numen populum, quem sibi peculium elegerat, euersis inquinamentis et detersis sordibus, tam purum, tam sanctum, tamque felicem reddere voluit, vt in eo, tanquam loco celso atque illustri, totius mundi salus collocata, omnibus gentibus manifestaretur. Hinc omnium praestantissimus fons, vnde Viri Dei suas deriuabant consolationes, erant felicissima noui foederis tempora, quibus ex vmbra in lucem clarissimam prodire debebat Sionis auxilium, quod tanto ardore patres exoptarant: quae, quum mente prophetica, quasi praesentia intuebantur, Prophetae in tantum affectum erumpebant, vt, quibus gaudiis exultarent, nescire viderentur: praesertim ore pleno exclama-

clamabant, et eam extollebant felicitatem, qua Spiritus sancti dona omnibus cuiuscunque aetatis, et cuiuscunque sexus fidelibus distribuenda erant largissime. IEREMIAS (a), EZECHIEL (b), IOEL (c), SACHARIAS (d), et reliqui sunt tantae beneficentiae diserti praecones: qui, quo magis territant minis, et ad sanitatem reuocant, tanto praeclariorem praedicant futuram donorum Spiritus sancti vbertatem, quod omnino summae consolationi perterritis esse oportebat, quum legis diuinae rigorem, et suarum virium imbecillitatem expenderent.

Omnium vero maxime id praestitit IESAIAS, qui, quum noui foederis oeconomiam tam clare, tamque perspicue depinxerit, vt ipsius spectator et administer fuisse videretur, loco euangelicae historiae scriptoris haud plane immerito habetur. Hic, quasi testis auritus et oculatus Iohanni, salutis praenuncio, Christo ipsi, et apostolis post sublatum magistrum congregatis adstitisset, Spiritus sancti effusionem descripsit, dicens (e), quod ביום ההוא, *illo tempore, quo futurum sit* צמח יהוה, *Germen Iehouae in decus et honorem*, et פרי הארץ, *fru-*

F 2

(a) cap. XXXI.
(b) cap. XI. 19. XXXVI. 26.
(c) cap. II, 28. seq. III, 1.
(d) XII. 10.
(e) cap. IV, 2.-4.

fructus terrae in magnificentiam et ornamentum reliquiis Israelis, eluturus sit dominus excrementa filiarum Sionis et sanguinem Hierosolymorum ex medio eius exterfurus ברוח משפט וברוח בער SPIRITV IVDICII *et* SPIRITV ARDENTE.

Duo insignia et notatu maxime digna tempora ante oculos ciuium suorum statuit propheta: vnum calamitatum, ex iustissimis Dei poenis pendentium; alterum felicitatis summae, non tam corporalis, quae caduca est et inconstans, quam spiritualis: vtrumque eodem notabili indicio, ביום ההוא *tempore illo*, indigitat; sed tamen ita sibi inuicem opponit, vt vnius commemoratione perculsi et prostrati, alterius recordatione erigantur et reficiantur. Neque timendum, ne eadem formula diuersa tempora confundat, et turbet: quia adiectis circumstantiis quam optime definita sunt. Iesaias, quodnam tempus insigniat, indicat apertissime, quum *Germinis Iehouae* mentionem facit. Vnde R. DAVID KIMCHI (f) ביום ההוא rectissime exposuit ביום התשועה בבוא גואל, *tempore salutis, quando veniet redemtor;* et per צמח יהוה, *Germen Iehouae*, neminem alium innui voluit, quam משיח בן דויד *Messiam filium*

(f) ad h. loc.

filium Dauidis, ex Ierem. XXIII. 5. *suscitabo Dauidi germen iustum.* Quippe nomine צמח Messias in prophetarum, Iesaiae praesertim et Ieremiae oraculis ita celebratus est; vt id ipsi ceu proprium tribuat Sacharias. (g) R. SALOMO ISAACIDES (h) צמח יהוה *Germen Iehouae* explicauit per הצדיקים הנשארים והחכמים תלמידי תורה *iustos residuos, et sapientes legis studiosos:* פרי הארץ, *fructum terrae* vero per בני צדיקים *filios iustorum.* Quocum ABRAHAM b. ESRA (i) consentit, qui צדיקי ירושלים שימלטו לצבי הדר *iustos Ierusolymorum, qui effugient in ornamentum glorioſum*, intellexit. Sed, praeterquam quod vterque subiecta diuersa errore aperto confundat, sermo hic de singulari eaque illustri persona est, quae reliquiis Israëlis honorem adferet et magnificentiam. Id quod alii è Iudaeorum magistris bene perspexerunt; in illa vero persona detegenda sunt alucinati. Neque enim Hiskiae, quem praeter ABRABBANELEM (k), alii, quos AbenEsra adduxit, innui volunt; neque Serubabeli, aut vlli è reducibus ex Babylonica captiuitate, tam praeclari excellentiae characteres conueniunt. Ergo de multo illustriori cogitandum.

(g) cap. III. 8. VI. 12. conf. Vitringa in Comment. in Ies. cap. IV. 2. p. 103. col. 1.
(h) ad h. loc.
(i) ad h. loc.
(k) ad h. loc.

Quae nemo alius est, quam Messias. Quod optime vidit IONATHAN, paraphrastes Chaldaeus: qui, vt alibi semper, sic et hic loci צמח *Germen*, transtulit משיחא, *Messias*. Cuius testimonio contra Iudaeos tanto firmius innitimur, quo propius aetas eius ad veterem ecclesiam iudaicam accedit, et quo maiori auctoritate apud Talmudicos valet: qui ipsum aeque maiestatis diuinae participem praedicant, ac Mosen (l) Nihilominus fallitur vt homo, quando פרי הארץ, *fructum terrae* exposuit, עברי אוריתא, *facientes legem*. Vbi eundem errorem cum R. Salomone Isaacide, Aben-Esra, et Abrabbanele errauit, quorum vltimus *fructum terrae* incolas esse Ierusolymorum, sub Hiskia viuentes, opinatus est. Hi enim omnes illum, qui gloriam dat, cum his, qui accipiunt eam, confundunt quam maxime. Qua ex parte KIMCHIVS iterum senior est ceteris suis popularibus: qui פרי הארץ, *fructum terrae*, etiam על משיח *ad Messiam* respicere docet; quamuis ratio denominationis, quam ipse dat, non proxima sit. Nam צמח יהוה, *Germen Iehouae* audit Messias, quia propago seu filius Dei est, in quo patris imago et gloria perfectissime splendet: פרי הארץ, *fru-*

(l) Baba Bathra fol. 134. a. lin. 14. seq.

fructus terrae autem, quoniam ex muliere vel virgine natus est. *Assurgit* enim, vt Iesaias alibi dixit (m), *sicut radix ex terra sicca, nulla forma, nulla maiestate ipsi existente.* Quamdiu scilicet in terris egit, humilis et miser visus est: euectus vero ad dextram Dei, quoad humanam naturam, gloriam adtulit et decus reliquiis Israelis. Septuaginta, vt vulgo vocantur, interpretes non verbum è verbo expressêrunt; sed cum alibi (n) צמח ἀνατολὴ transtulerunt, tum hic ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐπιλάμψει ὁ Θεὸς ἐν βουλῇ μετὰ δόξης ἐπὶ τῆς γῆς *tempore isto illucebit Deus consilio pariter et gloria in terra*, posuerunt: vt tenore alio, eoque tunc in ecclesia Iudaica magis trito, tempora Messiae indicasse viderentur. Quo eodem Sacharias sacerdos, Iohannis pater, respexit, dicens (o): Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *ex intima misericordia Dei nostri, qua inuisit nos ortus ex alto.* Qui vti similem sententiam solennem, quae augustae orationis ambitu, plurima de Messiae aduentu vaticinia complectebatur (p), adhibuit: ita extra omnem controuersiam de ap-

(m) cap. LIII. 2.
(n) Ierem. XXIII. 5. Sach. III. 8. VI. 12.
(o) Luc. I. 78.
(p) Vaticinium Bileami Num. XXIV. 17. it. Iesaiae IX. 1. 2. Malach. IV. 2.

propinquante noui foederis oeconomia vaticinatus est; cuius filius ipsi recens natus praeco primus esse debebat.

Hoc erat tempus illud summae consolationis plenum, quo fore praedixit propheta, vt residui ex Israele sancti reddantur, *purgati*, כרוח המשפט וברוח בער, *per* SPIRITVM IVDICII *et* SPIRITVM ARDENTEM. רוח, *quando de Deo vsurpatur*, vt tradit MAIMONIDES (q) *vel influentiam illam intellectualem diuinam à Deo prophetis instillatam, cuius virtute prophetant, significat; vel ipsius voluntatem.* Si posterior hic adplicetur significatus; nec solatii quidquam, nec spei, vt propheta intendit, ecclesiae erigendae *ardens ira iustissimi iudicis* adferet. Sin prior, omnino mente Iudaeorum praefracta extricandus erit: qui *spiritum sanctum* infimum prophetiae gradum (r) vocant, vt nostrae fidei, qua illum tertiam Deitatis personam credimus, detrahant. R. Samuel LANIADO (s) רוח המשפט, *Spiritum iudicii*, expositi quidem, דין יסורין *iudicium castigationum*; רוח בער *Spiritum ardentem* vero explicauit omnino, רוח קדוש מאת השם שיבער הגלל עד תומו *Spiritum sanctificationis ex Deo, qui tollet* ster-

(q) More Nebochim P. I. c. 40.
(r) conf. *Eisenmeng. entdekt. Judenthum.* P. I. cap. VI.
(s) in Keli Pas fol. 196. a. col. 1. l. 39.

stercus, donec defecerit. Paraphrastes Chald. רוח per מימרא *Verbum* transtulit: quae vox aeque ac משיחא Messias, de *diuina persona* ab ipso sumi putatur, eaque vt plurimum *secunda*, quam Iohannes λόγον cognominauit. Sed, cum hic צמח יהוה *Germen Iehouae*, quod *Messiam* esse supra ostendimus, *Spiritui* perspicue contradistinguatur; vel מימרא tertiam quoque personam diuinitatis Chaldaeo notare, asserendum est, vt eadem ratione, qua filius Dei מימרא vocatur, quia Pater de ipso (t), per ipsum (u), et ipse suo priuoque iure, verba patris (x) locutus est; etiam *Spiritus* מימרא nominetur, quia et pater, et filius de ipso (y), per ipsum, et ipse Patris et filii verba (z) locutus est. Vel potius Chaldaeus λόγον προφορικὸν respexit: quo sensu ad ipsum *Kimchius* prouocauit, qui vocem רוח etiam *ex istis locis Iob. XV. 30.* ברוח פיו *per verbum oris eius* et *Ies. IX. 32.* וברוח שפתיו, *per verbum labiorum eius*, exponi posse arbitratur. Quae interpretatio haud plane aliena est. Solennis enim et mirifica Spiritus Sancti effusio eo ipso clarius manife-

(t) conf. Witsi. in Exercit. III. de sermon. Tom. II. Miscell. §. XXIII. p. 106.
(u) Id. §. XXIV.
(x) Idem §. XXVI.
(y) in promissionibus et vaticiniis. Ioel III. Ioh. XIV. 16. XVI. 7.
(z) Procedit enim à Patre et filio. Ioh. XVI. 14. et 15.

stabatur, quod apostoli *loquerentur alienis linguis*, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδα αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, *sicut spiritus dabat ipsis eloqui.* (a) Verum, quamuis non excludatur *effectus*; ipsius tamen causae magis hic habenda est ratio. Quid enim opus, *effectui* inhaerere? vbi causa ipsa exprimitur; quam, quae de ista dicuntur, propius intuendam exhibent. Quem propheta praedixit *Spiritum*, purgaturum esse residuos Israelis, vt sancti vocentur; idem ille πνεῦμα ἁγιοσύνης (b) *Spiritus sanctitatis* appellatur, et ipsi ἁγιασμὸς (c) *sanctificatio* tribuitur: qui רוח המשפט *Spiritus iudicii*, Iesaiae audit, eundem Christus promisit, redarguturum esse mundum, περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως, *de peccato, de iustitia*, et de IVDICIO (d): adeo, vt iisdem praedicatis Spiritus, quem verum Deum credimus, in scriptis noui testamenti canonicis ornetur; quibus eum praesensit diuine ac praenuntiauit Iesaias. Quod exinde potissimum confirmatur, quia nomine רוח בער *Spiritus ardentis* decoratur. בער, vnde בָּעֵר nominis adiectiui forma apud Ebraeos, quae Chaldaeorum participium Benoni constituit, praecipuam significationem

(a) Actor. II. 4.
(b) Rom. I. 4.
(c) 2. Thess. II, 13. 1. Pet. I, 2. Rom. XV. 16.
(d) Ioh. XVI. 8. 11.

tionem *ardendi* habet; et, quamuis diuersa alia sonare videatur, ea tamen pleraque ad primam istam vim referri possunt. Ignis, cuius est ardere, CLEMENTE ALEXANDRINO docente (e) duplex virtus est: vna ad procreationem et concoctionem fructuum, animaliumque generationem et nutritionem apta, cuius imago sol est; altera vero ad consumtionem et corruptionem. Quae posterior vel ad purgandum valet, et vocatur καθαρτικὴ, *purgatrix*, vel ἀφανιστικὴ *deletrix*: quam in adplicatione Clemens laudatus vult rectius dici παιδευτικὴν, *correctricem*. Vis illa purgatrix aurum argentumque purum putum reddit, remouet scorias et vitia detrahit (f): haec vero edax est, et quae arripit, conficit ea et consumit. Hoc igne consumtore, quae deuota, immunda, detestabilia, omnique esu et vsu interdicta erant, iussu Mosis abolebantur. (g) Vnde, quo ex fonte pleraeque radicis בער significationes, *expurgandi*, *eliminandi*, *depascendi* fluant, liquet. Sed tamen amoenius ex copiosa scaturigine, quam tenui riuulo bibitur. Licet Spiritui

(e) in Opp. edit. graec. Sylburgii fol. 347. l. 14.
(f) Iesa. I. 25. Mal. III. 3. Macarius Homil. 30. §. 6. p. 417. Edit. I. G. Pritii.
(g) Exod. XXIX. 34. Leuit. VI. 23. VII. 9. VIII. 17. XIII. 52. 55. Num. XIX. 5. etc.

ritui sancto hic potissimum vis expurgandi et eliminandi tribui videatur: inde adeo non spiritus expurgationis nominandus, vt, eo quod Spiritus ardens ignisque diuinus est, purificandi officium ipsi adscribatur. ὥσπερ ἀχώριστον, inquit BASILIVS (h), τῷ πυρὶ τὸ θερμαίνειν καὶ τῷ φωτὶ λάμπειν; οὕτω τῷ πνεύματι τὸ ἁγιάζειν, τὸ ζωοποιεῖν, ἡ ἀγαθότης, ἡ εὐθύτης: *Sicut seiungi nequit ab igne calefacere, et à luce lucere; ita Spiritui, sanctificatio, viuificatio, bonitas et iustitia propria sunt.* Calefiunt enim animi, refouentur spiritu, et fertiles redduntur fructuum iustitiae. Idcirco τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν (i), πνεῦμα ζωῆς (k) dicitur; et, MACARIVS (l) sanctissimae conuersationis pater, ipsi πύρωσιν tribuit τὴν ἀναζωπυροῦσαν τὰς καρδίας, i. e. *ardorem, corda* sopita quasi et obruta cineribus, *suscitantem et recreantem*, seu reddentem in vitam. Igni et flammis vita tribuitur apud Plautum: (m)

Nam si ignis viuet, tu extinguêre extempulo.

et Aristophanem (n), πῦρ ἐγρήγορε καὶ ζῇ, *ignis vigilat et viuit.* Vbi ergo vita, ibi lux

(h) Homil. de fide p. 198.
(i) Ioh. VI. 63. 2. Cor. III 6.
(k) Rom. VIII. 2. Apocal. XI. 11.
(l) Homil. XXV. §. IX. p. 335.
(m) in Aulular. I. 2. 15.
(n) in Lysistrate. v. 308.

lux. Hinc Iesus *sol iustitiae*, quum se τὸ φῶς τȣ̃ κόσμȣ, h. e. *lucem mundi* vocasset, eos, qui sequerentur se, non ambulaturos in tenebris, promittebat; sed habituros τὸ φῶς τῆς ζωῆς, *lucem vitae*. (o) Volebat enim mittere Spiritum suum, qui perducturus esset discipulos suos in omnem veritatem. (p) Quapropter, cum בְּעֵר ἐμφαλικότερον sit cognomen Spiritus, si *ardens* vel *igneus* transferatur; quam si alia quacunque ratione explicetur: primae vocis significationi, necesse est, inhaereamus. Praesertim cum in scriptis noui foederis quasi digito *igneus* ille spiritus monstretur. Iohannes, praenuntius Christi, dominum suum se tanto praestantiorem extollebat; quo minus sibi concessum erat, alio quam externo signo, aqua scilicet, baptismum administrare. Quum illi, filio Dei, post se venturo, proprium esset, πνεύματι καὶ πυρὶ *spiritu et igne*, seu *spiritu igneo* baptizare. (q) Quod postea confirmauit Christus, (r) quando se venisse ait, in terram, ad accendendum ignem, qui exarderet post baptismum suum; quum summos nempe dolores et acerbissimam mortem superasset. Id eueniebat, postquam Christus in coe-

(o) Ioh. VIII. 12.
(p) Ioh. XVI. 13.
(q) Matth. III. 11. Luc. III. 16.
(r) Luc. XII. 49. 50.

coelum sublatus erat. Incendebatur ignis in Apostolis, sub cuius signo visibili Spiritus sanctus manifestabatur. (s) En! ipsum vaticinii Iesaiae euentum certissimum! Iam Christus, *Germen Iehouae* et *terrae fructo*, infima et despicatissima conditione cum diuina gloria et maiestate commutata, ad dextram Patris euectus, in decus et honorem, in magnificentiam et ornatum reliquiis Israelis factus est. פלטה *euasio*, seu reliquiae Israelis, apostoli ceterique fideles erant; qui ecclesiae Christi primitias constituebant. Hi, eadem *euasionis* nota etiam alibi à Iesaia (t), Obadia (u), Ioele (x), praesignificantur: quorum postremi vaticinium ipse Paulus (z) de credentibus in Christum explicauit. Erepti enim sunt ex coecitate atque stultitia Israelis (a), cuius Principes Dominum gloriae reiecerunt (b): erepti ex mundo (c): euaserunt è timore perniciei aeternae, certiores facti suae salutis (d): superstites fuerunt iudiciis diuinis, quibus Iudaeorum impietatem Deus puniuit. (e) Paulus (f) vocauit eos λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χά-

(s) Actor. II. 3.
(t) cap. LXVI. 19.
(u) Obad. I. 17.
(x) Ioel III. 5.
(z) Rom. X. 13.
(a) Ioh. XII. 40. Matth. XIII. 13. seq. Rom. XI. 25.
(b) Act. IV. 10. II. 23. seq.
(c) Ioh. XVII. 14. 16. seq.
(d) Hebr. II. 15. Luc. I. 74.
(e) Euseb. Lib. III. Hist. Eccles. c. V. p. 75.
(f) Rom. XI. V.

χάριτος, *residuum secundum electionem gratiosam:* scripti erant apostoli et fideles ceteri ad vitam. Nomen enim suum scriptum habebant in coelis (h) ordinati ad vitam aeternam (i), et regni coelorum haeredes constituti. (k) *Sanctorum* nomine veniebant, per Spiritus baptismum sanctificati, et collecti ad nouam ecclesiam; cuius caput, ornamentum, et καύχησις (m) Christus erat, germen Iehouae.

Horum purificatio per *Spiritum ardentem* atque descripta est, ac si aquis fieret. רחץ enim *lotionem*, et הריח *sordium detectionem* denotat; vtracunque vel largiori aquarum aspersione, vel immersione peragatur. Neutrum tamen horum verborum minus apte adhibetur. Quandoquidem Iohannes quoque (n) βαπτισμὸν πυρὸς innuit; licet βαπτίζειν non nisi aquis proprium sit: βαπτισμὸς aquae et symbolum et medium est munerum Spiritus sancti, benigne et liberaliter conferendorum: quorum vbertas *effusionis* voce alias in scriptura (o) exprimitur. Adeoque ratio denominationis non minus posita est in donorum

(h) Luc. X. 20.
(i) Actor. XIII. 48.
(k) Rom. VIII. 17. Gal. III. 29. Tit. III. 7.
(l) Actor. IX. 13. 32.
(m) Phil. III. 3. Rom. XV. 17.
(n) Matth. III. 11.
(o) Ioel III. 1. Act. II. 17. 33. conf. Glassii Philol. L. V. Tr. I. cap. X. col. 1716.

norum coeleſtium abundantia, prouti ad rem quamcunque copioſam aquarum multitudo transfertur (p); quam in purificationis effectu. Quae enim à rei natura ſunt aliena, et aqua et igne remouentur: quia vtrumque elementum vim habet depellendi partes impuras. Vnde ſeptuaginta interpretes poſterius verbum רחץ, ἐκκαθαρίζειν verterunt. Qui effectus tanto excellentior hic innuitur, quo clarius verbis exponitur idem ferme declarantibus. Quorum vnum quidem, רחץ nimirum, *R. Samuel* LANIADO (q) de *ablutione exteriori operum; alterum*, רוח, *de interiori malarum cogitationum*, vult explicare. Sed, hoc diſcrimen ſcriptorem ſacrum intendiſſe, vix probabiliter conficitur: quum דמים *ſanguines*, aeque ac צואה *excrementum*, ad externas actiones referri poſſint; et קרב non praeciſe partem, in medio totius corporis ſitam, denotet; praeſertim ſi ad vrbem vel regionem reſpiciat, vbi מקרב idem quod Latinorum *è medio*, in phraſi, *è medio tollere*, ſignificat. Inculcare potius vtraque locutione voluit Ieſaias purgationem vniuerſam: vbi tamen interior exteriorem antecedit; quia haec, illa neglecta, nulla eſt. Per *ſordes* quidem *filiarum Sionis* reſpici

(p) Glaſſ. l. c. col. 1701. ſeq.

(q) in Keli pas fol. 26. b. col. 2. in med.

spici videtur ad luxum et superbiam, quam in proxima concionis suae parte prophe-ta redarguit. Verum peccata, quae suo tempore vsitata et quotidiana carpebant, pro toto peccatorum complexu vsurpare, prophetis solenne est. Omnia enim pec-cata communem fontem habent, cuius vestigia vel vnicus riuulus detegere potest. Omnis vero impuritas è sancta Dei ecclesia eliminanda erat penitus. Quippe Christus dilexit (r) *eam, et seipsum tradidit pro ea; vt eam sanctificaret purificatam lauacro a-quae per verbum, vt sisteret eam sibi glorio-sam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam; sed vt sit sancta et inculpata.* Quamobrem ipsi ecclesiae primi condito-res, apostoli, potissimum purgandi erant ab insipientia (s), incredulitate (t), fide pusilla (u), cordis duritie (x), principatus cupiditate (y), aliisque imbecillitatibus, quibus ad capiendas magistri sui, in terra degentis, doctrinas inepti (z) reddeban-tur; donec ille spiritum suum mitteret, ducentem in omnem veritatem. דמים sanguines, homicidia innocentium, Pro-

(r) Ephes. V. 26. 27.
(s) Matth. IX. 11. Luc. XXIV. 25.
(t) Marc. XVI. 14.
(u) Matth. XVI. 8.
(x) Marc. l. c.
(y) Marc. IX. 34.
(z) Ioh. XVI. 12. 13.

phetarum (a) inprimis, ipsiusque Christi (b), denotant; quibus totus Iudaeorum populus commaculatus erat: fideles vero ex iis purgabantur spiritu. Hoc enim consilium est Petri (c), quod iis, qui sua concione commoti fuerant, dabat. Haec salutaris est purificatio, quae in vitam excitat, et mentem feracem reddit (d) praestantissimarum virtutum, quae Christianos decent. Alia vero eaque minus laeta est spiritus ardentis purgatio: quum incredulitate et malitia exacerbatus, consumit rebelles, eosque radicitus perdit. Cuius triste exemplum in gente Iudaica statutum est: quae, vna cum republica sua, postquam diuinum Spiritus solatium reiecerat, Romanorum copiis subuersa et funestata fuit.

Agite ergo ciues! quum tempore hoc vaticinii Iesaiae in apostolis adimpleti memoriam recolimus, et vos, quibus eadem promissio facta est, templa Spiritus ardentis praeparate: vt, sordidis voluptatibus profligatis, et eluta mente sanguinaria, vita et lux in cordibus vestris oriatur. Sic enim nostra doctrinarum sedes, arx celsa erit: in qua, Gloria Iehouae splendente, omnes verae sapientiae studiosi, refugium atque

(a) Matth. XXIII. 25.
(b) Matth. XXVII. 25.
(c) Actor. II. 38.
(d) Ioh. XV. 2.

atque praesidium suum quaerent. Ostendite fructibus, vos sanctificatos, sanctae Christi ecclesiae membra genuina esse, quae regnum coelorum in haereditatem accipiunt. Spiritu ignito incensi, flagrate amore, locuplete fidei teste, et comite indiulso: vestramque mentem liberalem iis potissimum exhibete, qui per sacros hosce dies ad liquidum viuae aquae fontem vos perducent. P. P. Fer prima Pentecostes, Anno Orbis per Christum redemti MDCCXXII.

MEDITATIO VIII.
DE
RORE COELESTI
AD HOS. XIV. 6.

Vbique Deus sapientissimus, à cuius virtute et potentia tam corporis vita quam animi salus dependet, suum ordinem seruat. Haud dispar ratio est, qua et in regno naturae et in regno gratiae agit. Sed, quae ibi peraguntur, manifesta sunt, et oculis et mente cernuntur: quia Deus manifestum fecit, quod de se cognosci potest; nam inuisibilia ipsius, à condito mundo, ex iis, quae fecit, mente perpensa, perspiciuntur, aeterna videlicet eius

tum potentia tum diuinitas. (a) Quae vero hic fiunt, occulta sunt et ad interiora mentis spectant. Benignissimum itaque et misericors numen, quod aeque haec, quam illa nobis vult cognita, vt imbecillitati nostrae succurrat, ea, quae euidentia sunt ex natura, imaginem dedit rerum occultiorum et spiritualium. Sol, stellae, earum ortus et occasus, aurora, lux, dies, nox, tenebrae, plantae, fruges, arbores, tonitru, fulmina, nix, pluuia, humor, siccitas, sterilitas pariter et foecunditas terrarum, omnesque rerum naturalium viciſſitudines ordinesque similitudinem gerunt rerum coelestium. Hinc videmus scripta diuinorum auctorum, plena locutionum, à rebus naturalibus ad altiora translatarum, quae rem iucunde atque dilucide, cum acumine quodam explicant et viuacitate. Praesertim Spiritus Sancti dona, tam, quae extra ordinem dantur, quam, quae consueta et solita sunt, modo sub ignis, modo aquae virtute depinguntur.

Quoniam igitur iam olim in academia Ienensi, auctoritate et nomine incomparabilis viri IOHANNIS ANDREAE DANZII, theologi et philologi celeberrimi, praeceptoris

(a) Rom. I, 20.

ptoris mei, cuius post mortem cineres veneror, in festo pentecostali, meditationem de *spiritu ardente* publicaui, vbi ignea virtus Spiritus Sancti à me exposita fuit. Iam, data mihi denuo occasione, in donorum Spiritus Sancti effusionis memoriam commentandi, vobis, carissimi ciues, *rorem*, diuini eiusdem Spiritus imaginem, explanabo.

Hoseas, tam coelesti *rore* imbutus, vt vbertatem et copiam eius, temporibus noui foederis futuram, extolleret, nobis suppeditabit materiam, nomine Dei viui, אהיה, inquiens (b) כטל לישראל *ero*, *instar roris*, *Israeli*.

Indigitat diuinus vates ea tempora, quibus splendor gloriae et character substantiae diuinae, omnia portans virtutis suae verbo, (c) filius Dei vnigenitus, plenus gratiae ac veritatis inter homines habitauit, (d) regnum suum excitauit, et ministerio suorum legatorum, post suum ascensum in coelos, amplificauit et confirmauit. Talis enim mos est et consuetudo prophetarum, vt, vbi hortantur Israelem ad veram poenitentiam, sicuti fecit *Hoseas* (e), argumenta sumant à futura temporum noui foederis felicitate. Deinde ratio

(b) Hos. XIV. 6.
(c) Ebr. I. 3.
(d) Ioh. I. 14.
(e) l. c. v. 3.

tio cultus externi, qui, antiquo abolito, ſub Meſſiae temporibus alius plane futurus eſſet, luculenter prodit, de qua tempeſtate propheta loquatur. Non enim foret, vt *iuuencos;* ſed *labiorum fructus* offerant. (f) Quod ea hora futurum erat, qua veri adoratores patrem adorarent in ſpiritu et veritate. (g) Hinc etiam Paulus, quum Ebraeis ſuis aperit res occultiſſimas veteris cultus, (h) tempus adeſſe innuit, quo *cruentae* victimae non placeant Deo, ſed ipſi offerri debeat *victima laudis*, id eſt, *fructus labiorum*, nomen illius celebrantium. Quibus, clarum eſt, illum ad ea, quae ab *Hoſea* dicta ſunt, alluſiſſe. Si enim vel maxime nolles, Paulum, mutatis punctis, legiſſe, פְּרִי *fructum labiorum:* ipſe certe ex mente Spiritus Sancti nobis declarare voluit, quod *iuuenci labiorum* ſint fructus eorundem, ex quibus parandum, quod loco *ſacrificii euchariſtici* offerendum. Commemoratur denique, (i) futurum eſſe, vt *ſub Iſraelis vmbra ſedeant gentes:* quod innuit tempus, quo coaliturae ſint gentes cum Iſraelis poſteris in vnum Dei populum: quod eſt tempus aduentus ſummae ſalutis Iſraelis, quae redundaret in vniuerſas gentes.

Hinc

(f) l. c. v. 3.
(g) Ioh. IV. 23.
(h) Ebr. XIII. 15.
(i) Hoſ. l. c. v. 8.

Hinc neminem fore, arbitror, qui dubitet, hoc Hoseae vaticinium vere accidere in tempora noui foederis: vbi multa vberiora sunt dona Spiritus Sancti, quam in veteri Ebraeorum republica. Quod etiam indicat roris imago, copiae et vbertatis symbolum.

Ille vero, qui esse volebat Israeli instar roris, erat, qui per os prophetae loquebatur, nempe *Spiritus Sanctus*. Neque excludendi Pater et Filius, qui Spiritum veritatis miserunt. (k) Quippe opus est, quod non vni tantum; sed omnibus tribus personis diuinitatis competit; per *appropriationem* vero, vt in scholis theologorum dici solet, Spiritui Sancto tribuitur.

Hic itaque ipse *roris* instar est Israeli: non toti populo, qui à Iacobo, à Deo Israelis cognomine ornato, nomen et originem ducebat; sed residuis saltem ex illa gente. Sunt vero שארית יעקוב, *residuum Iacobi*, apostoli caeterique fideles ex Iudaeis, qui erepti ex coecitate atque stultitia Israelis, suae salutis in Christo certiores facti, superstites fuerunt iudiciis diuinis, quibus Iudaeorum impietatem Deus puniuit. Quos et ipse Paulus vocat λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, *residuum secundum electio-*

(k) Ioh. XV. 26.

tionem gratiosam. (l) Quamuis igitur Hoseas communi nomine Israelis illos appellet, quibus Deus futurus sit instar roris; Micha tamen, qui pariter praedixit, futurum rorem à virtute Iehouae, id nominatim refert ad שארית יעקוב, *residuum Iacobi.* (m) Neque vero à se inuicem dissident, quoniam totus coetus fidelium noui foederis, antiquo populi Dei nomine, à diuinis scriptoribus cognominari solet, cuius primitiae erant apostoli atque fideles, qui ex Iudaeis seruati fuerant.

Super hos matutini rores et coelestes aquae effundebantur, cum repente coelo missam reciperent virtutem Spiritus, à Christo è terris discedente promissi. (n) Rorem, vt physici obseruant, efficiunt vapores humidi, qui aestu solis tenues facti, è terra ascendunt in aerem, et eiusdem occasu rursus densati atque in guttulas redacti, terram repetunt. Quod non casu fortuito; sed sapienti Dei, rerum omnium conditoris, consilio atque ordine fieri solet: qui propterea sibi soli generationem roris vindicat, dum Iobum increpat: (o) *estne*, inquiens, *pluuiae pater? aut quis genuit guttulas roris?* Agit vero ipse vel ex po-

(l) Rom. XI. 5.
(m) Micha V 6.
(n) Act. I. v. 11. c. II. v. 1. sq.
(o) Iob. XXXVIII. 28.

potentia *absoluta* et extra ordinem adhibita, vel *ex ordinata*. Haec respicit causas secundas, et ordinem, quem semel sapientia constituit in ipsa rerum omnium origine: illa vero, remotis causis secundis, et legibus naturae suspensis, operatur. Ex absoluta potentia Deus mundum creauit et omnium rerum ordinem: hinc, quando Moses in opere creationis omnem causarum secundarum concursum remouet, *nullus*, inquit, (p) *vapor erat, qui ascenderet, vt irrigaret omnem superficiem terrae*. Nam, ex praecedenti commate, negatiua particula, vti ipsi Ebraeorum commentatores obseruant, (q) ἀπὸ κοινῦ repetenda est. Deus itaque in condendo orbe, et rerum creatarum ordine, ex immediata et absoluta potentia riguam fecit et foecundam terram; simul vero constituit et ordinauit rorem et pluuiam, quae terrenae gignunt exhalationes, vt semper redirent maiori cum virtute ad matrem, eamque irriguam, fertilem, et quasi praegnantem redderent. Qui ordo perpetuus est, neque interrumpetur, quamdiu semen et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, dies et nox non cessabunt.

Sed eadem est ratio regni gratiae:

(p) Gen. II. 6.
(q) Vid. R. Schel, b. Melech. in Michlal Iophi ad h. l.

quod cum plantandum et erigendum esset per legatos Christi et ministros: necesse fuit, *immediate* atque *extra ordinem* instrui eos donis Spiritus Sancti iisque mirabilibus. Posteaquam vero totum regnum gratiae ordinatum est, *ros* seu virtus et efficacia Spiritus Sancti, ex verbo prophetarum et apostolorum ascendit atque foecundat et implet corda fidelium. Cuius rei elegantem imaginem exhibet *ros è monte Hermon descendens super montes Sionis.* (r) Hermon enim vnus altissimorum montium terrae Israelis fuit, et ob summam altitudinem longe lateque conspicuus, situs in pinguissima prouincia, subiecta quondam Ogi, regis Basanis ditioni: quam ob felicitatem suam, sedem rei pecuariae valde accommodatam, sibi Rubenitae et Gaditae expetierant: (s) simulque terra erat plena medicamentorum salutarium. (t) Quoniam itaque ob excelsitatem suam eminens, conspectui longinquo expositus erat: symbolum fuit, gentis et ecclesiae Israelitarum, vbi futurus Messias, radix Isai, staret in signum populorum, quo conuocati ad eum congregarentur. (u) Eligebantur enim ab antiquis celsissima iuga, in quibus signum eri-

(r) Ps. CXXXIII. 3.
(s) Num. XXXII. 1. 4.
(t) Ierem. VIII. 22.
(u) Ies. XL. 10.

erigebatur, vt omnes, qui viderent illud, confluerent. Quoniam vero montis illius regio laeta pascua habebat, et herbis, plantis atque arboribus gaudebat, quae spirabant balsaminos humores, vnde ros gignebatur benedictus prae omni rore, qui cadit in toto mundo: hic symbolum est Spiritus Sancti, effusi Hierosolymis in apostolos. Et, cum inde virtus diuina euangelii dispergeretur in gentes: montes Sionis imaginem habent ecclesiarum ex gentibus collectarum. Nam Sionis nomine appellatur ecclesia Christi noui testamenti, (x) quae, cum varias inter gentes colligenda esset, multitudinis numero, tanquam Sionis montes, celebratur; cum alias vnus tantum fuerit mons, ad vrbem Hierosolymitanam spectans, cui proprie id nomen impositum erat.

Dona itaque Spiritus Sancti noui testamenti cum *rore* comparantur, propter copiam, quippe quae non insigniora tantum; sed multo vberiora futura essent. Quam vbertatem *Ioel* indicauit, qui praedixit, omnes eorum participes fore, sine vllo sexus, aetatis, dignitatisque discrimine. Sicuti vero *ros* nutrit, auget, foecundat è terris nascentia, iisque suauem odorem

(x) vid. Glassii Philol. col. 1385. et 1879.

rem reddit: ita etiam Spiritus Sanctus in interiore mente fidelium sua officia praestat. Excitat, quae mortua sunt, et viuificat, quare τὸ πνεῦμα ζωοποιῶν, (y) et πνεῦμα τῆς ζωῆς, (z) et vita appellatur: (a) nutrit vitam interiorem, firmat et auget. Hinc per omnia placent domino fideles, omnis operis boni fructum proferentes et crescentes in agnitione Dei: (b) vehementer augescit fides et abundat mutua charitas (c). Inde omnium virtutum christianarum, tanquam amoenissimorum fructuum, vbertas et, florum odoriferorum, varietas oritur. (d) Ea de causa fideles dicuntur *florere instar lilii vel alius cuiusque floris odori; agere radices, vt arbores syluae Libani; eorum teneri rami se diffundere, eorundemque decus quasi oliuae, et odor quasi Libani esse.* (e) Odor, qui ex tanta virtute spargitur, potissimum est efficacis sermonis de Christo, cruci affixo. Quare Paulus dixit, *odorem cognitionis Christi Deum manifestasse per apostolos vbique, quippe qui essent bona fragrantia Christi Deo et in iis, qui seruantur, et in iis, qui pereunt.* (f) Vbique enim gloria et misericordis et iustissimi

(y) Ioh. VI. 63. 2. Cor. III. 6.
(z) Rom. VIII. 1. Apoc. XI. 11.
(a) Rom. VIII. 10.
(b) Col. I. 10.
(c) 2. Thess. I. 3.
(d) Gal. V. 22.
(e) Hos. l. c. v. 5. 6.
(f) 2. Cor. II. 14.

mi numinis amplificatur. Sicuti enim insecta quaedam impurissima ex dulci et salubri omnibus odore pereunt; ita pertinacis malitiae homines, sua culpa, ex suauissimo et maxime salutari odore doctrinae de Christo, sibi aeternum exitium contrahunt, vt non sit ea ipsis *odor vitae ad vitam; sed mortis ad mortem.* (g) *Stillantes* et *rorantes* vocantur (h) etiam prophetae veteris testamenti, piis gratiam et misericordiam, impiis iram et iustissima iudicia Dei annunciantes. Quod vtrumque munus est Spiritus Sancti, docendi pariter et arguendi.

Quibus et munus consolandi accedit. Vti enim *ros* aestum lenit et sedat, refrigerat marcescentes et languidas herbas, recreat et quasi exhilarat: ita Christus Spiritu Sancto suos, sub innumeris calamitatibus, aerumnis atque persecutionibus, tanquam flagrantissimo aestu gementes, suspirantes, languentes, fouet, reficit, et dulcissima refrigeratione firmat et solidat. Tantum tamque iucundum et salubre refrigerium, *Spiritum consolatorem*, ante promisit suis discipulis, quam, quae ipsis nominis sui causa perpetienda sint, praediceret. (i) Quamuis igitur miseriarum plena

(g) 2. Cor. II. 16. | Ezech. XX. 46. XXI. 2.
(h) Mich. II. 6. Amos. VII. 16. | (i) Ioh. XV. 16. XVI. 1.

na sit via, qua transimus in regnum Dei: hoc tamen, quod in animis fidelium iam instituitur, iustitia, pax et gaudium vocatur in Spiritu Sancto. (k) Qua de causa, vti *ros* index est subsequentis sereni diei: ita Spiritus diuini solatium, perennis felicitatis atque aeternae salutis spem atque expectationem certam et indubiam reddit.

Quemadmodum vero crassiores pinguioresque terrae vapores vel *roris* irrigandi foecundandique virtutem cohibent, vel in *rubiginem* vertuntur, quae frumenta et arbores corrumpit: ita mali et sordidi cupidines mentis et corporis voluptates omnesque libidines, non solum Spiritum Sanctum, et donum illius, sapientiam, quae impuram mentem non inhabitat, impediunt atque eiiciunt; sed omnis salutis et felicitatis spei pestis sunt atque exitium. Enecant enim et omni sensu priuant hominem, vt nec docentis, nec arguentis, multo minus consolantis Spiritus diuini vim et efficaciam sentiat.

Quae cum ita sint, carissimi ciues, omnia effugite, quae non patiuntur, vos tam diuini et coelestis *roris* participes fieri. Vos estis sapientiae studiosi; sed nunquam sa-

(k) Rom. XIV, 17. conf. c. XV, 13.

sapientiam consequemini; nisi hoc *rore* imbuamini: vos vultis imbui; sed velle vestrum irritum est, nisi genuinis subsidiis muniamini. En! haec preces sunt et assiduum verbi diuini studium. Discipuli Iesu vno consensu perseuerarant in precibus et supplicationibus, (1) cum super eos effunderetur Spiritus Sanctus, à quo variis linguis eloqui magnalia Dei docebantur. Forsan expectatis dona eodem modo, quo apostolis, vobis impertienda; forsan haec sunt vota eorum, qui odio et desidia marcescunt! sed nolite vobis per somnium persuadere, sapientissimum numen vestri causa ordinem suum mutaturum esse. Inuestigate, scrutamini scripturas prophetarum et apostolorum: *ros* ex monte Hermonis in vestros animos redundabit. Purgamini vera poenitentia et liberamini ab omnibus prauis moribus et cupiditatibus, vt reficiat vos coelestis roris amoenitas, vt ex eius virtute suauem odorem bonae famae et optimae spei, instar candidi lilii, quod innocentiae signum est, spiretis et fructus verae fidei et aeternae salutis feratis. P. P. Fer. I. Pentecostes clɔlɔccxxix.

ME-

(1) Act. I. 14.

MEDITATIO IX.

FALSAM IVDAEORVM OPINIONEM DE SPIRITV SANCTO EXPENDENS ET REIICIENS.

Venerandi sacrosanctae Trinitatis mysterii hostes, cum non ad infringendas veritates diuinas valeant, eas nefario ausu fugillare studeant. Quorum princeps est hodierna Iudaeorum natio, ex iustissimo iudicio trinunius DEI peruersae suae et obstinatae menti tradita, ex cuius impurissimis fontibus maximam partem perduelles et ex castris Christi transfugae sua hauserunt, iis, tanquam gallus gallinaceus sterquilinio suo, gaudentes. Quamuis enim purioris antiquae ecclesiae Ebraeorum Christiana propago sit, et haec eodem cum illa fidei fundamento, multo licet clarius illustriusque exposito, vtatur: hodiernus tamen Iudaeorum coetus quam longissime à sua salute aberrat, ex populo DEI plane excisus et exterminatus, quia venientem in peculium suum Regem, patribus iam diu promissum et longe expectatum, non excepit; sed reiecit: quare, si apud eum vestigia veritatis perscrutari velimus, caute nobis et circumspecte agendum est, ne im-

imprudentes fallamur. Omnia enim suis deliriis ita incrustarunt et corruperunt, vt, si vel maxime quaedam in recentium Ebraeorum scriptis inueniantur, quae primo intuitu nostro applausu digna videantur, non temere ea exosculari; sed cauere debeamus,

Neue venenato leuius feriamur ab angue.

Sic multa occurrunt in Kabbalistica Iudaeorum doctrina, quae incautis vestigia ferunt purioris ecclesiae antiquae de trinitate dogmatis; reapse vero hostibus tanti mysterii fauent, et eo nomine suspecta sunt, quod ad expugnandam fidem nostram fuerint excogitata. Turgida sunt talmudistarum monumenta *APPARITIONIBVS ELIAE* et strepitu *FILIAE VOCIS*, quam בת קול, *Bat-Kol*, vocant. In christianorum odium vtrumque videtur confictum, iudice b. praeceptore meo, *IOH. ANDREA DANZIO*, harum rerum peritissimo, qui ita pergit: (a) *Quemadmodum enim Eliae apparitionem, ad destruendum Christi iudicium de Iohanne, in spiritu ac potentia Eliae Tisbitae manifestato, excogitarunt; vt semper illis suppetat, quod, Messiae aduentum dudum extitisse, vrgentibus, ad aurem vsque obganniant,*

H

(a) In epistola, quam praeses praemisit FRID. LVDOV. MVNSTERI dissertationi, *Filia vocis nefanda diuinae aemula*, habitae Ienae. 1716.

niant, de reditu Eliae ante aduentum Messiae promisso. Vtpote qui, clanculum licet vni alteriue subinde conspiciendum se praebeat, et in auditorio R. Iose Zipporensis quotidie apparuisse credatur, dubios in veritate confirmaturus; nondum tamen in conspectu omnium solenniter apparuerit, viam Messiae praeparans. Ita tot mentiuntur filias vocum de coelo, vel monte Horeb, aut sanctissimo templi Hierosolymitani, vel etiam aliunde intonantes; non alio fine, quam vt efficaciam vocis coelestis, ad Christi baptismum et glorificationem in monte excelso peractam coelitus delapsae, eumque DEI filium proclamantis, infringant, omnique priuent auctoritate. Quasi res foret quotidiana, et nullius momenti; ad quam nemo mortalium adtendere debeat: nedum vt fidem adhibeat iis, quae voce huiusmodi promulgantur; quoties suis parum conueniant dogmatibus.

Pari ratione cauillati sunt Iudaei sanctam Christianorum de *Spiritu DEI* doctrinam. Iam apertas et crassiores blasphemias non commemorabo, quas EISENMENGERVS, acerrimus impietatis Iudaicae detector et castigator, notauit; (b) sed quas moderato et non infesto animo protulisse videntur de *Spiritu sancto* sententias, quasi à prima origine in veteri patrum suorum ecclesia receptas. Non

(b) Iudaismi detecti part. I. c. 6. p. 264.

Non possunt inficiari, רוח הקודש *Spiritus sancti*, qui etiam רוח אלוהים רוח יהוה, רוח האל, *Spiritus Dei*, *Spiritus Domini*, *Spiritus DEI fortis* vocatur, in sacris veteris testamenti scripturis passim mentionem fieri: hinc veritatis viribus repulsi aliud sibi fingunt lacerandi latibulum. Comminiscuntur enim Spiritum sanctum speciem quandam diuinae reuelationis esse, cuius tres praecipuos gradus statuunt, (c) נבואה, *prophetiam*, רוח הקדש *Spiritum sanctum*, et בת קול *filiam vocis*; alii quidem quartum אורים ותומים, *Vrim vethummim*, quod LVTHERVS *Liecht und Recht* transtulit, adiiciunt, locum ipsi statim post primum tribuentes. Qui vero triplicem tantum gradum admittunt, *Vrim vethummim* sub primo, qui est *Nebhua*, comprehendunt. *Rabbi Isaac Karo* huius triplicis gradus fundamentum quaerit in triplici operculo arcae foederis, *scias*, inquiens, *in arca foederis tria fuisse opercula ratione prophetiae, quae habet tres gradus* רוח הקודש *Spiritum sanctum*, אספקלריא שאינה מאירה *speculum non lucens et* אספקלריא המאירה *speculum lucens*. (d) Qui omittit tertium alias gradum בת קול, filiam vocis; ex primo vero aliorum

(c) Vide *R. Menachem Rekanatensem* apud *Eisenmenger. p. 165.*

(d) *Quem etiam adduxit* EISENMENGERVS, l. c.

rum duos facit, quos sub speculi lucentis et non lucentis nomine designat. *Speculum lucidum, einen hellen Spiegel*, gradum prophetiae Mosis, qui omnium excellentissimus fuit; *Speculum non lucidum, einen dunckeln Spiegel*, gradum caeterorum prophetarum appellarunt. (e) Quo etiam eorum spectat sententia, qui ex ratione triplicis huius reuelationis gradus codicem ebraeum in tres partes in *legem, prophetas* et *hagiographa* diuisum asserunt. (f)

Hi infimum gradum diuinae reuelationis רוח הקדש *Spiritum sanctum* ponunt, et ferme eodem modo describunt, quo pium mentis affectum religiosorum scriptorum auctoribus tribuentes, hunc à diuina inspiratione distinguimus. Nemo nobis id tam dilucide ante oculos statuit, quam *R. Dauid Kimchi*, vbi discrimen inter נבואה *prophetiam* et inter רוח הקודש *Spiritum sanctum* ita exposuit: (g) *Prophetia homini accidit sapienti et integro moribus in somnio: quum vero vigilanti obtigerit, cessant vires eius sensuales, ipseque abstractus ab omnibus huius mundi actionibus, videt in visione prophetica, quasi virum secum loquentem haec et*

(e) *In Cod. Iebhammoth. fol. 49. b. lin. 7. à fine.*

(f) *ABRABBANEL in praef. commentario in prophet. priores praemissa fol. 1. b. col. 2.*

(g) In praef. praemissa commentario in Psalmos.

et illa; vel videt in visione ista species, sensui interiori oblatas, vel nullam imaginem videt; sed vocem audit secum loquentis. Spiritus sanctus vero est, quum homo pius, rebus diuinis occupatus, *tam integer omnibus sensibus est, vt nullus eorum cesset; loquitur more aliorum hominum, praeterquam quod altiori Spiritu agitetur, qui reuelet linguae eius verba, verba scilicet laudis et celebrationis Dei, verba prudentiae et disciplinae: loquitur etiam de rebus futuris, per diuinum influxum in eius facultatem intellectualem, idque omni genere dicendi. MAIMONIDEM* plerumque sequuntur ceteri doctores; cuius mentem explicat *ABRABBANEL:* (h) *Raf negat Spiritum sanctum prophetiam esse, quippe quae sit influxus in facultatem rationalem et imaginatiuam simul, vt ita definitio eius verificetur. Idcirco Spiritus sanctus vigilanti superuenit et suis sensibus vtenti, non cum eorum vsus cessat. Duas vero species Raf facit. Prima est, cum homo seipsum excitat, ad opus laudabile faciendum, vt cum coetum piorum hominum liberat, aut aliquem saltem, dum sibi persuadet super se Spiritum sanctum resedisse. Altera species est, cum homo in se sentit renouari*

(h) In Comment. in Daniel. verba Maimonidis ex eius *More Nebochim.* part. II. c. 45. adduxit, et ex eo *IO. FRISCHMVTH* in dissert. *de Sacrae scripturae in legem, prophetas, et hagiographa diuisione,* c. II. §. 4.

virtutem loquendi vtilia, laudabilia verba disciplinae et adhortationis, et quidem vigilans, vbi sensus suo funguntur officio: tunc loqui dicitur per Spiritum sanctum.

Quin imo eo processerunt peruersitatis, vt Spiritum sanctum ne quidem velint esse infimum prophetiae gradum; sed plane huius limitibus excludere. Quamuis enim *R. BECHAI* illum pro infimae notae reuelatione habeat, minime tamen negat prophetiae esse speciem: qua ex parte R. Salomonis et chaldaei interpretis sententiam sequitur. Quam vero impugnare voluit Abrabbanel, friuole atque inepte asserens, verba Dauidis, quae per eum locutus est Spiritus Dei, 2. Sam. XXII. 2. non perfectam prophetiam complecti. Restringunt Spiritum sanctum non nisi ad cantica et sapientiae monita, qua de causa ex *Maimonidae* mente, quam non satis assecutum *Kimchium Abrabbanel* arguit, psalmi nullum vaticinium continent et nihil aliud sunt, quam vulgares simplicesque hymni. Dictus etiam *Abrabbanel* tam effrons est, vt dignitatem libri psalmorum, quem Dauid composuit, non maiorem admittat, quam poematum et orationum elegantium et precum, quas conscripsere R. Salomo filius Gabrielis et R. Iehuda Leuita et R. Abraham, et R. Mose filius Esrae; Salomonis

monis vero dignitas apud ipsum instar Aristotelis aliorumque sapientum est, qui non nisi secundum magis et minus differant. (i) Danielem quoque ex numero prophetarum extrudunt et parti Hagiographorum inferunt, quoniam ex inferiori influxu, quem Spiritum sanctum appellant et prophetiae opponunt, librum suum conscripsisse falso sibi persuadent. Ex *ABRABBANELIS* sententia Daniel seipsum excitauit, vt scriberet per Spiritum sanctum, adeoque suopte motu, non DEI mandato et instinctu se accinxit. Quae deliramenta aeque impia sunt ac *BELLARMINI*, sancti Cardinalis, qui Euangelistas, non DEI mandato; sed proprio arbitrio ad scribendum accessisse autumat. Quo sane librorum canonicorum auctoritas plane corruit: id quod, vt peruersitatem suam adiuuarent, *BELLARMINVS* non minus quam Iudaei voluerunt. (k)

Quae cum ita sint, Iudaeorum versutam cognoscimus malitiam, qua nos nostramque doctrinam occulte, quasi cuniculis, oppugnare parant. Nam primum virorum diuinitus inspiratorum, qui maxime perspicua atque inuicta de Christo vaticinia scriptis suis continent, diuinam

(i) Vid. *Ioh. Frischmuth* dissert. 1, c. §. 23.

(k) Vid. *Frischmuth* l. c. §. 17. 18. et seqq.

auctoritatem negant, eosque non tam ex DEI Spiritu, quem tam ieiune atque exiliter describunt, quam ex suopte ingenio monumenta sua consignasse nefarie statuunt, vt eo facilius erroris et praecipitantiae illos arguant, nostrumque fundamentum, quod in iis positum est, suffodere moliantur. Dauid enim et Daniel exploratissima de Christo testimonia exhibent eiusque aduentum tam certo praestituunt, vt contra ne hiscere quidem possint Iudaei. Hinc aliam viam, quae ipsos agit praecipites, ingrediuntur, tam sanctos viros è numero prophetarum eiecturi. (l) Sed, tametsi varii modi reuelationis diuinae dantur, id quod etiam Paulus testatur, ad Ebraeos scribens; *Multis vicibus, multisque modis olim DEVM locutum esse patribus in prophetis:* (m) vnus tamen DEVS est, qui omnibus reuelauit, quapropter dignitatem libri non tam reue-

(l) Müllerus in Iudaismo p. 19. *Das ist gewiß, daß die Iuden insgemein das Buch Danielis gering halten. Sie zehlen ihn nicht unter die Propheten, sondern unter die* Hagiographa. *Sie geben ihm in der hebræischen Bibel eine geringe, und fast die letzte Stelle. Mir hat ein teutscher Iud unter die Augen gesagt, daß sie Danielem vor keinen Propheten erkennen, VVeil die Iuden mercken, daß sie hieraus können eingetrieben und überzeuget werden, daß* Messias *schon müste kommen seyn, finden sie das Buch Danielis an, und wollen es für kein göttliches und prophetisches Buch halten.* Vid. etiam celeberr. Ioh. Gottl. Carpzouii introductio ad libros V. T. part. 3. cap. 6. §. 1.

(m) Hebr. I. v. 1.

reuelationis modo, quam ipſius reuelantis auctoritate metiri debemus, qui cum vbique vnus fuerit idemque, et omnes prophetas, ne in ſcribendo fallerentur, direxerit, inde ſatis tuto colligimus, parem omnium omnino librorum ſacrorum eſſe auctoritatem. (n) Dauid etiam ab auctore libri Nehemiae aeque ac alii prophetae *Vir DEI* nominatur (o) et Danielem Chriſtus ipſe prophetae elogio ornauit. (p) Cuius vtriusque pariter et reliquorum ſcriptorum, quos Hagiographis annumerant Iudaei, diuinam auctoritatem ſatis ſolide probatam dedit et vindicauit celeberr. Lipſienſium theologus, IOH. GOTTL. CARPZOVIVS. (q)

Deinde ſcriptorum N. T. Euangeliſtarum ſimul et Apoſtolorum auctoritatem diminuere voluerunt, tam abiecte de Spiritu ſancto loquentes, *quoniam hi locuti dicuntur impulſi à Spiritu ſancto.* (r)

Poſtremo ipſi trinitatis diuinae hoſtes hac ipſa re, quaſi aliud agendo, diuinitatem Spiritus ſancti, noſtramque de eo, tertia perſona Diuinitatis, doctrinam praefracte ſubuertere laborant; ſed operam et oleum perdentes, propriam perniciem moliun-

(n) Friſchmuth. I. c. cap. I. §. 7.
(o) Nehemiae Cap. XII. v. 24.
(p) Matth. XXIV. 15.
(q) In Introductione ad libros Canonicos V. T. ſupra commemorata.
(r) 2. Petr. I. 21.

tur. Quae enim in scriptis V. T. de Spiritu sancto, Spiritu DEI, Spiritu Domini praedicantur, non modum reuelationis eumque infimum, sed personam aliquam innuunt, cui nomina, attributa, opera diuina adscribuntur, et, si ex ipsarum pera lapides sumere licet, quibus eos feriamus, en! Spiritum sanctum veteres doctores Iudaeorum *Schechinam* vocarunt. (s) Per hanc vero nil creatum; sed glorioſum et benedictum DEVM intelligunt. (t) Ipsi quoque Spiritui sancto, *clamare, respondere, loqui* attribuunt, quae personarum alias propria sunt. Vnde etiam *HACKSPANIVS* ita coniicit: *Ac forsan antiquitas Iudaica aliter intellexit, quam Iudaei hodierni, quibus certe Spiritus sanctus nihil aliud est, quam donum quoddam alias à* נבואה *prophetia distinctum.* (u)

Ex his, ciues cariſſimi, miseriam et caecitatem Iudaeorum eiusque causam satis superque cognoscitis. Exemplum ii hodienum nobis praebent iustiſſimorum DEI iudiciorum, quoniam Spiritum sanctum, qui doceret ipsos veram salutis viam, reiecerunt, exacerbarunt, calumniati sunt. Vo-

(s) Eisenmenger Part. I. pag. 268.
(t) Eisenmeng. l. c.
(u) De scriptorum Iudaic. in Theologia vsu vario et multiplici, qui subiunctus est editioni R. Lipmanni Nizzachon, pag. 381.

Vobis etiam Christus exhibet dona Spiritus sui, sine quibus nec sapientes nec salui fieri potestis: fugite itaque omnia, quae Christi Spiritum sanctitatis dolore afficiunt, ne mutetur in hostem vestrum vobisque repugnet, quia ipsi repugnatis. Assiduis precibus et diligenti meditatione verbi diuini animos vestros templa Spiritus sancti parate, vt sentiatis in vobis diuinam eius potentiam, quae excitat è mortuis et prodire iubet è tenebris lucem. Nisi hoc feceritis, vt obstinati Iudaei, peribitis in aeternum. P. P. Stargardiae ad Ihnam Fer. I. Pentecostes clolocccxxx.

MEDITATIO X.
DE
SACRO VNCTIONIS OLEO
TYPO DONORVM SPIRITVS SANCTI VBI SIMVL DE RATIONE TYPOS ALLEGANDI ET INVESTIGANDI BREVITER DISSERITVR.

Iam duo lumina data sunt, ciues carissimi, quae, via praemonstrata, bona spe salutis aeternae nobis praelucerent; lumen nempe rationis et reuelationis. Vnum suffecisset idque prius, nisi primorum parentem lapsus effecerit, vt crassis oc-

occultatum et circumfusum tenebris iam scintillaret duntaxat, tanquam recens extinctus ignis in densa caligine. Nouum lumen requirebat nostra salus, ad quod, tanquam ad laetum diem, prioris fumigantis scintillulae ex misera nocte nos perducerent: nouum etiam suppeditare voluit φιλανθρωπία misericordis Numinis, quod quasi angorem pro nostra restitutione capiebat. Illud erat *reuelatio supernaturalis*, quae scriptis prophetarum et apostolorum continetur; quae sunt *fundamentum* fidei nostrae *dogmaticum:* (a) sicuti *reale* est (b) *Iesus Christus* θεάνθρωπος, vnicus ille Dei hominumque μεσίτης. Hunc solum, statim à perdita diuina imagine, salutis nostrae effectorem et restitutorem, in oraculis suis Deus nobis ante oculos proposuit; quippe quum in nullo alio salus, nec vllum aliud nomen hominibus datum esset, quo seruaremur. (c) Eadem itaque via idemque ordo salutis omni tempore reuelatus est. Placuit tamen sapientissimo Numini, antequam, quod ante iacta mundi fundamenta decretum erat, ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων impleretur et manifestaretur, pro diuersitate oeconomiarum, diuersos adhibere reuelandi

(a) Ephes. II. 20.
(b) 1. Cor. III, 11.
(c) Act. IV. 12.

landi, modos: quum in oeconomia praesertim veteris testamenti multis imaginibus vteretur, efficacibus rerum altiorum indiciis, qui *typi* appellantur, et suos *antitypos* in oeconomia noui testamenti habent, qui, vti *vmbra* illi, ita *corpus* (d) *ipsum* et *expressa rerum forma* (e) vocantur. Sapiens itaque scripturarum scrutator atque interpres animum intendere debet ad mentem Spiritus sancti, quem vel *verba* solum, vel etiam *res verbis expressae* produnt. Vnde et *sensum literalem* habemus et *sensum rerum.* Sicuti ille vnicus est, ita hic eum non tollit, sed supponit. Nam *sensus rerum sunt altiorum rerum conceptus, qui rebus significantur, quarum conceptus per verba auctoris producuntur.* Quodsi igitur conceptus interpretis conceptibus auctoris conformes esse debeant, si velit verum et genuinum sensum eruere: consequitur, vt qui sensus rerum altior sine manuductione atque indicio Spiritus sancti inuestigatur, non sit sensus, quem intendit Spiritus; sed, si non peccet in analogiam fidei, pia tantum ingenii humani accommodatio, quae facit ad excitationem animi et illustrationem rei; nihil vero probat. Quas tamen accommoda-

(d) Col. II. 17. (e) Ebr. X. 1.

dationes non debemus nimis venari, ne iis capti atque seducti sensum literalem vilipendamus, aut derisoribus ansam praebeamus, omnem religionem rem ingeniosam criminandi, vel potius calumniandi. Ad sensum rerum altiorem *typos* pertinere nemo vnquam in dubium vocabit; sed finguntur saepe typi, vbi non sunt, si modo leuis quaedam rerum similitudo praebeat occasionem. (f) Absit vero, vt abusus faciat, vt omnem typum à scriptura separemus. Omnis scriptura θεόπνευστος est, tam quoad *sensum literalem*, quam quoad *sensum rerum*, adeoque omnino etiam *typos* eosque *innatos* complectitur. Hoc vero obseruandum est, cum ex verbis consignatis immediate pateat *sensus literalis*; *sensus* vero *rerum*, mediata rerum cognitione, quas verba expressérunt, eruatur; interdum fieri, vt *sensus literalis* γραφὴ vocetur, quae distinguitur ἀπὸ τοῦ τύπου καὶ ἀπὸ τῆς παραβολῆς. Quod Paulus apostolus facere consueuit, qui, dum sensum scripturae sacrae literalem adducit, vel γραφὴν, vel γραφὰς, vel ὁ γέγραπται, *quod scriptum est*, allegat; vbi vero ad *sensum rerum* prouocat, eumque exponit, modo ἀλλη-

(f) Vid. celeberr. RAMBACHII *Instit. Hermeneut.* p. m. 80.

ἀλληγορέμενα vocat, vti Gal. IV. quando sensum literalem v. 22. de duobus filiis Abrahami profert, γέγραπται, *scriptum est*, inquit, *Abraham duos habuisse filios* etc. quando vero sensum rerum, v. 24. eruit, ἅτινα, dicit, ἐστιν ἀλληγορέμενα; *quae per allegoriam dicuntur, vel exponi debent. Allegoria*, teste HIERONYMO, aliud praetendit in verbis, aliud significat in sensu. Hinc cum eam porro exponere pergit apostolus et, collato sensu verborum, inuestigare, v. 30. hunc nude vocat scripturam: ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; *sed, quid inquit scriptura*, id est, quid innuit sensus verborum seu literalis?

Modo τύπον opponit ei, *quod scriptum est*, vti I. Cor. X, 11. haec vero omnia tanquam τύποι, *typi*, illis contigerunt; scripta *vero sunt* ad admonitionem nostri, in quos termini aetatum inciderunt. Erant vero omnes *typi* isti historici, quorum impletionis in antitypis tempus innuit, *fines seculorum*, qui respondent ebraeorum, אחרית הימים, *dierum extremitati*; quod est tempus noui testamenti, quo omnem sortem, figuris tectam, expleri fas erat.

Modo etiam παραβολὴν, *sensum altiorem* nominauit, quem eruit ex *sensu literali* scriptorum verborum. Ita, postquam ebraeis suis exposuit ex lege scripta totius taber-

tabernaculi rationem, et annuum sacerdotis summi in sanctissimam istius partem ingressum, qui per alienum sanguinem licebat: statim indicat *sensum altiorem*, qui in rebus istis latuit, ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα: *quae parabola pro praesente tempore.* Ebr. IV. 9. Et vbi ex scriptura mentionem iniecit oblati ab Abrahamo filii vnici, Isaaci, et tamen conseruati in vita: eum ἐν παραβολῇ, *in typo*, patrem recepisse, significat Ebr. XI. 19. *Parabola* enim in vtroque loco nil aliud significat, quam typum, id est, *rem V. T.* quae adumbrat *rem N. T.* vel, vti beatus DORSCHEVS ait, (g) *sicut verba per aures ad animum translata, statim imaginem sive typum rei ibi constituunt, et in ideam quasi resoluuntur, sic etiam παραβολὴ in rebus ipsam rerum imaginem exhibet.* *Syrus* vtroque in loco habet מתלא, quod est Ebraeorum משל. Assolebant vero in veteri synagoga iudaica כתב *scriptura* et משל *parabola* seu *typus* etiam ita à se inuicem distingui, vt illud *sensum literalem*; hoc *sensum rerum altiorem* innueret. Vereor, ne nimis longus sim; hinc alia, quae huc faciunt, lubens praetermitto. Ex dictis id tantum colligo: sicuti Paulus, qui pro ratione sua et consue-

(g) In comment. ad Ebr. IX. 9. p. 476.

suetudine allegandi sensum literalem et sensum rerum, illum *scripturam* vocat, hunc vel *typi* vel *parabolae* vel alio nomine indigitat, nequaquam *typos* vult à toto scripturae sacrae complexu separatos; quia πᾶσαν γραφήν, *omnem scripturam*, tam quoad *sensum literalem*, quam quoad *sensum rerum altiorem*, θεόπνευστον, *diuinitus inspiratam* esse atque adeo à Spiritu sancto dependere, asseuerat, omniaque ipse ex instinctu atque impulsu Spiritus sancti profert: ita nec is, qui methodum et rationem allegandi, apostolo, sancto viro, vsitatam proponit atque explanat, facile accusari potest, quod *typos* nimis longe à sacra scriptura seiungat atque eneruet. *Typi* enim à scriptura seiuncti, sunt, qui vocantur *illati*, et nunquam vim atque indolem habent *typi*, ab ipso Spiritu sancto intenti.

Vt igitur veros typos, qui sunt ex mente et intentione diuina, inuestigare discatis; iam, materia de tempore sumta, in *oleo vnctionis sacro*, quod *donorum Spiritus sancti* typus erat, tam breuiter, quam fieri potest, rationem ostendam.

Oleum illud componebatur ex aromatibus praestantissimis, quae Exod. xxx. 23. recensentur; erant vero *mirrha ingenua*,

cinnamomum aromaticum, calamus aromaticus et casia, quorum omnium succi in oleo videntur macerati expressique, vt, fecibus relictis, odores tantum extraherentur: vnde *oleum fragrantissimum* existebat. Vngebantur eo et personae et vasa. Personae erant *Aaron* et omnes illius in summi sacerdotis munere successores. Vnde quiuis summus sacerdos כהן משיח *sacerdos vnctus* vocabatur, Leuit. IV. 3. 5. 6. qui etiam describitur *sacerdos fratrum suorum maximus, cuius capiti infusum est oleum vnctionis*, Leuit. XXI. 10 Ex quo recte colligimus, effusum fuisse hoc oleum in caput sacerdotis summi, et quidem largissima copia, quoniam Ps. CXXXIII. 2. descendisse dicitur à capite Aaronis in barbam illius et ad oram vestis eius. Vngebantur etiam reliqui sacerdotes hoc oleo vnctionis; sed sanguine victimarum mixto. Quae vnctio tantum aspersione, non effusione fiebat. Exod. XXIX. 21. Leuit. VIII. 30. Equidem eadem ratione hisce in locis Aaron commemoratur vnctus cum filiis suis; quod tamen ab ante dictis non abhorret. Habebat enim sacerdos summus geminam vnctionem, vnam soli sacerdoti summo propriam, alteram cum aliis sacerdotibus communem; illa fiebat per vberiorem infusio-

fusionem olei in caput illius; haec per adsperſionem olei, sanguine victimarum admixti. (h) An etiam reges, an prophetae hoc oleo vncti fuerint, iam non disquiram. Id exploratum habemus, etiam res vnctas fuisse oleo isto, et quidem tabernaculum et vasa, quae eo continebantur. Exod. xxx. 26. 27. 28. Vim habebat oleum illud omnia sancta reddendi Deoque sanctissimo grata et accepta. Non carni humanae infundi debebat, nec tradi peregrino, sub poena excisionis è populo. Exod. xxx. 32. 33. Ipsi demum Iudaei antiqui oleum sacrum inter quinque referunt res, quae in templo secundo defuerunt (i)

In oleo itaque hoc sacro procul omni dubio typum inuenimus ex mente Spiritus sancti. Primo enim id pertinet ad leges atque instituta cultus externi veteris testamenti, quem Moses praecepit: quibus omnibus *vmbra* continetur, cuius *corpus* inuenitur in Christo. Col. II, 17. Lex enim Mosis comprehendit tantum *vmbram bonorum futurorum; non ipsarum rerum substantiam.* (k) Cum igitur oleum sacrum ad Mosis instituta pertineat; non in eius virtute et praestantia, quae vmbra duntaxat

(h) WITSIVS Miscellan. Tom. I. L. II. Dissert. II. §. 63. et RELANDVS A. S. L. II. p. m. 147.

(i) RELANDVS l. c. p. m. 79. (k) Ebr. X. 1.

xat est, debemus subsistere; sed penetrare ad ipsam rei, quae adumbrata fuit, veritatem et substantiam. Deinde vbi res cultus veteris testamenti, à Deo tamen praeceptae, illius perfectionibus non satis dignae videntur; in iis omnino altior sensus latet. Deus perfectissimus est spiritus, ab omni materia longe remotissimus, qui fastidit holocausta arietum et adipem pinguium; qui sanguine iuuencorum atque agnorum et hircorum non delectatur; cui suffitus est res abominabilis; qui neomeniam et sabbathum et solennes indictiones non potest ferre; cuius anima neomenias et solennia festa odio habet: (l) num ille acquiesceret in suauissimo praestantissimi olei odore et vellet finibus tam caducae pretiositatis infinitam suam sanctitatem circumscribi, cui conuenire debent omnia, quae illi placent? immensitatem itaque diuinam non in re tam exigua; sed in re multo ampliori, immo ampliſſima et excellentissima omnium, cuius ista tantum leuis vmbra fuit, quaerere debemus. Ex quo porro intelligimus, quod *praedicatum* amplitudine sua in *typo* superet *subiectum*. Est vero illud *sanctum reddere atque ad verum dei cultum separare*: num haec vis vlli con-

(l) Ies. I, 11.

conueniet rei creatae vel etiam omnium nobilissimae? Aliud quaerendum erit *subiectum*, in quod aptius quadret *praedicatum*. Omnis cultus externus veteris testamenti erat imago et typus interioris cultus noui testamenti, qui Deo placet. Rom. XII. 1. Ioh. IV. 24. Quis vero ad hunc separat atque sanctificat, non sanctitate quadam externa atque foederali, sed interna et absoluta, quae conformitas est cum Deo et expressio diuinae puritatis? (m) *Spiritus sanctus*, cui Paulus adscribit *sanctificationem*, 2. Thess. II, 13. qui etiam ab ipso, Rom. I, 4. *spiritus vocatur, qui sanctificat*. Inuento itaque subiecto, quod praedicati capax est, inuenimus etiam *antitypum*. De cuius postea veritate tanto certiores reddimur, quo expressius et *subiectum* et *praedicatum typi* ad *antitypum* sacri scriptores transferunt. Sic Iohannes. 1. ep. II, 27. inquit, *vnctionem docere omnia*, quae vera sunt et nulla mendacia. Quod Christus de *Spiritu sancto* asseuerat, *qui Spiritus veritatis ducit ad omnem veritatem*. Ioh. XVI. 13. Et *Iesaiae LXI. 1.* Spiritus Domini per vnctionem collatus dicitur, quando Messias ipse loquitur: *Spiritus Domini est super me; propterea quod Dominus vnxit me*. Vbi *typus*

(m) WITSIVS in exercit. in Symbol. Apost. exerc. XXIV. §. X. p. 442.

noster nouum sibi robur acquirit. Omnis enim *actio typica* et *materialis*, quae ipsi Deo tribuitur, in altiori et multo eminentiori sensu exponenda est. Vbi ergo Deus dicitur, *vngere*, ibi consolatur, erigit, laetificat, confortat, quae sunt dona Spiritus sancti. Maxime vero Christus Spiritu sancto imbutus à patre ad ministerium, ad eximia opera redimendi generis humani, delectus atque ablegatus fuit. Actor. x. 38. Vnde κατ'ἐξοχὴν משיח, χριστὸς, *vnctus* vocatur. Sic quasi sua sponte *subiectum operationis* seu *finis cui*, nos pertrahit ad γνησιότητα *typi* cognoscendam. Personae enim vngendae, *sacerdos summus* erat, et *reliqui sacerdotes*. Summum sacerdotem typum fuisse Christi, aeterni sacerdotis summi, extra omnem controuersiam positum est. Vt igitur ille appellabatur solus *vnctus sacerdos*: ita soli Iesu nazareno, nomen משיח, Messiae, χριστῷ, *vncti*, proprium est. Vti ille solus, largissima olei copia in caput infusa, vngebatur, omnium fratrum suorum maximus: ita Christum vnxit Deus oleo laetitiae prae omnibus sociis. Ps. xlv. 8. Cui Deus non dedit spiritum secundum mensuram; Ioh. iii. 34. sed largissima copia; eum in finem, vt, sicut ex capite Aaronis in barbam

et

et oram vestimenti defluebat oleum sacrum, ita ex Christi *plenitudine* redundaret gratia et spiritus in omnia illius membra. Ioh. 1,16. Aaron gemina sua vnctione geminum habebat respectum. Primum quod solus vngeretur, vt summus sacerdos, vberrima olei copia, nullo expiationis sanguine admixti: *typum* gerebat Christi, aeterni summi sacerdotis, *qui sanctus est, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, et sublimior caelis factus.* Ebr. VII. 27. qui nulla itaque egebat expiatione, quoniam *Deus erat in ipso, mundum sibi reconcilians, non imputando iis offensam eorum.* 2. Cor. V. 19. Deinde aspergebatur Aaron oleo sacro, cui admixtus erat victimarum sanguis, instar reliquorum sacerdotum: quoniam *lex constituit homines pontifices infirmitate laborantes.* Ebr. VII. 28. et Aaron ob peccata sua, sicuti reliqui sacerdotes, expiandus erat. Sacerdotes vero typum gerebant omnium fidelium noui testamenti; quos vnctione caelesti consecratos Petrus vocat *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum, quem sibi Deus vt proprium vindicauit.* 1. Petr. II, 9. Vngebatur etiam tabernaculum, quod sedes Dei erat: per Spiritum sanctum omnes fideles inaugurantur templa Dei. 1. Cor. III.

16. 17. VI. 29. 2. Cor. VI. 16. Ioh. XIV. 23. Et sicuti omnia *vasa* tabernaculi oleo sacro consecrabantur; ita omnia membra ecclesiae inuisibilis sanctificantur à Spiritu ad varia ministeria Deo praestanda. Varietas specierum aromatis nobilissimarum, ex quibus oleum sacrum conficiebatur, significat multiplicia variaque dona Spiritus sancti: ex quibus oritur ἡ ὀσμὴ τῆς γνώσεως χριστοῦ, χριστοῦ εὐωδία, *odor cognitionis Christi, odor suauis Christi* 2. Cor. II, 15. Inde *laetitia* venit in Spiritu sancto, qua consistit vita aeterna, Rom. XIV. 17. Est enim Spiritus sanctus verissimum laetitiae oleum, Psalm. XLV. 8. Eo vero, quod oleum sacrum nec humanae carni infundi deberet, nec peregrino dari, innuebatur, *mundum Spiritum veritatis non posse recipere.* Ioh. XIV. 17. *et sapientiam non descendere in animam malitiosam, neque habitare in corpore, quod est peccato subiectum. Sanctus enim spiritus fugit omnem iniquitatem.* Sap. I, 5. Quod denique ex ipsa veterum iudaeorum confessione, oleum sacrum in templo secundo cessarit; portendebat, transituram esse *vmbram*, appropinquante iam *corpore.* Quod tanto magis nos confirmat, oleum vnctionis sacrum typum tantum fuisse.

Vos

Vos vero, carissimi ciues, qui in sacro initationis lauacro Spiritum sanctum accepistis, et vncti fuistis, nomen etiam ab *vncto*, nostro summo sacerdote, Christo, gerentes, vos moneo, vt sustineatis et tueamini ea, quae nacti estis. Vos estis sapientiae studiosi: vos vnctio sola docebit: sine ea eritis insipientes atque peruersi. Fugite omnes illecebras carnis, omnes voluptates, omnem impietatem, quoniam alias non participes eritis olei sacri laetitiae. Semper cogitate, sapientiam, donum Spiritus sancti, non habitare in animo malitioso, aut corpore peccatis subiecto. Per virtutem Christi eo omnes intendite neruos, vt indies donis Spiritus sancti largius instruamini, vt omnis vita vestra et fama vestrarum virtutum, vestraeque salutaris cognitionis, odorem Christi spiret suauissimum, quo collegium nostrum longe lateque illustrabitur, et non illud muta erit sapientiae sedes; sed vos viua sanctaque eritis Dei templa. Quod benignissimum Numen faxit.

P. P. Fer. 1. Pentecost.

MDCCXXXI.

)o(

משיח כמסתר פנים ממנו

DE

MESSIA OBNVBENTE CAPVT

AD IESAIAE LIII. v. 3.

DISSERTATIO

HABITA STARGARDIAE D. XXX. MARTII

MDCCXXIX.

RESPONDENTE

SAMVELE GOTTLIEB LAVRINO

SALLENTINO-POMERANO

IAM ECCLESIAE PATRIAE PASTORE.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494/phys_0153

DFG

SYNOPSIS.

§. 1. *Iesaias perspicue de Christo vaticinatur praesertim cap. LIII.* §. 2. *Institutum nostrum exponendi cap. cit. v. 3. particulam.* §. 3. *Romanorum consuetudo damnatos obnubendi.* §. 4. *An eam à graecis acceperint?* §. 5. *Apud graecos enim fuit recepta.* §. 6. *Itemque apud persas, vbi Esth. VII. 8. exponitur.* §. 7. *Quo casu Ebraei vultum suum velauerint.* §. 8. *An apud eos reorum capita fuerint obducta?* §. 9. *Locutiones id innuentes exponuntur.* §. 10. *Locus Ezechielis. XXI. 6. eo spectans.* §. 11. *Alia loca ab Alexandro Moro adducta producuntur.* §. 12. *Caput obnuptum praesertim parricidis et perduellibus.* §. 13. *Perduellionis crimen.* §. 14. *Rationes obductionis capitis.* §. 15. *Seruilis ignominia:* § 16. *Quod indigni sint rei conspectu: ne seditionem excitarent: iudicum iniustitia et crudelitas.* §. 17. *Christus perduellionis damnatus iniuste à primoribus populi.* §. 18. *Qui id etiam multitudini persuaserunt.* §. 19. מסנו *exponitur.* §. 20. *Rationes obductionis ad Christum adplicantur.* §. 21. 22. *Ad obiectiones respondetur.*

§. 1.

§. 1.

Quamuis omnes scriptores veteris testamenti de futuro Messia eoque Iesu Nazareno testimonia perhibeant: nullus tamen eorum tam luculenta dedit de illo vaticinia, quam IESAIAS, ipsis sacris historiae vitae Christi nostraeque salutis scriptoribus suo iure annumerandus: eo tamen discrimine, vt, quae hi auribus suis audierunt, viderunt oculis, manibus palparunt, aut certe ab auritis et oculatis testibus perceperunt; ea illi aeque clare atque aperte in diuina visione fuerint iam pridem exhibita et explicita. Quare tam amicus inter vtrosque consensus est, vt diuinae veritatis inuictum argumentum suppeditet; iudaei vero, animi obstinati homines, malint, tacuisse Iesaiam, quam se conuictos dici. Neque est, quod nos huius rei miratio subeat; quia ipse diuinus vates gentem suam, cuius aetate diu expectata salus Sionis apparitura sit, pertinaciae incredibilis et summae infidelitatis accusat. Quod potissimum fecit cap. LIII. vbi praeiudicatas populi sui opiniones de contemnendo, propter miserias et calamitates, Messia confutauit.

§ 2. Etsi tam praeclaro vaticinio exponendo iam plurimi suum ingenium et diligentiam adhibuerunt; nil tamen impedit,

pedit, quo minus et nostras in eo tenues vires tentemus. Commentationes enim aliorum non tam inertiam nobis afferre debent, quam studia nostra ad scripturas sacras, maiori cura scrutandas, excitare. Neque vero longe demonstratum ibimus, Iesaiam de nullo alio, quam *Messia, eoque Iesu Nazareno* loqui, quippe quod iam exploratum habemus. Hoc Θεοπνευστοι scriptores noui federis testantur; illud vero ipsi veteres iudaeorum doctores in *paraphrasi chaldaica*, quam confecit *Ionathan ben Vsiel, in Tanchuma, Pesikta, Siphre, Aggada Samuel*, codicibus talmudicis *Berachoth* et *Sota*, et, ex recentioribus, R. *Moses Alschech* confitentur. Quorum testimonia legere licet apud ANTONIVM HVLSIVM in *Theolog. Iudaica:* qui simul ineptas ceterorum iudaeorum expositiones vel de *populo Israelitico*, vel de *quouis iusto*, vel de *Ieremia*, vel de *rege Iosia* recensuit, recensitas redarguit et refellit. Neque iam totum vaticinium illustrabimus; sed, nouae quicquam lucis conabimur affundere inciso, quo contemtum dicit propheta Messiam כְּמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ, quod IVNIVS et TREMELLIVS transtulerunt, *velut* homo *abscondens faciem à nobis.* Vbi primo inuestigabimus consuetudinem obuoluendi caput reorum, et dein, nunquid lucem ex ea capiat nostrum

strum incisum, exquiremus. Quod Deus trinunus bonum, felix, faustumque esse iubeat!

§. 3. Apud veteres Romanos solennem fuisse morem damnatorum capita obnubendi, extra dubitationem iacet. Legem enim horrendi carminis LIVIVS (a) commemorat; *Duumuiri perduellionem iudicent. Si à duum viris prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito. Verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium.* Qua lege condemnabatur Horatius, vindex romanae libertatis sub Tullo Hostilio, qui victoriam suam atroci caede sororis commaculauerat. CICERO (b) etiam, C. Rabirium perduellionis reum contra Labienum defendens, postquam dixerat, *I lictor, colliga manus*, non modo praesentis libertatis mansuetudinisque non esse; sed, ne Romuli quidem; aut Numae Pompilii; sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi regis cruciatus carmina: statim subiecit, *caput obnubito, arbori infelici suspendito*, verba iampridem in romana republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa. Quodsi denique eruamus fragmenta duodecim

(a) Lib. I. 26, 6.
(b) In orat. pro C. Rabirio perduellionis reo c. 4.

decim tabularum, qui postea in immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatique iuris erat, legem inuenimus: *qui parentem necassit caput obnubito, culeoque insutus in profluentem mergitor.* Quam legem etiam FESTVS indigitat, *lege iuberi*, inquiens, *caput eius obnubere, qui parentem necauisset, quod est obuoluere.* Testantur etiam illud Furius et Manlius, ante consules, nunc rei ad populum circumeuntes sordidati; non plebem magis quam iuniores patrum suadentes, monentes, honoribus et administratione reipublicae abstineant; consulares vero fasces, praetextam, curulemque sellam, nihil aliud quam pompam funeris putent: *claris insignibus, velut infulis velatos, ad mortem destinari.* (c)

§. 4. Romani quidem legatos Athenas miserant, iussos inclitas leges Solonis describere, et aliarum graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraque noscere: quorum post reditum nouae leges conditae fuerunt, à decem viris latae. Ex quo suspicamur, hunc morem capita morte damnatorum obnubendi à graecis fuisse translatum ad romanos. Iam vero vsitatus erat sub Tullio Hostilio, qui tertius

(c) Liu. lib. II. c. 54. 4.

Romae rex Numae Pompilii succesſor fuit; ſed Numa, qui vrbem nouam conditam vi et armis, iure legibusque ac moribus de integro condere parauerat; non tam ſuopte ingenio inſtituit omnia, quam aliunde doctus: licet omnino temporis ordinem negligant, qui auctorem doctrinae eius falſo Samium Pythagoram edunt. Illum quidem inſtructum aſſerit LIVIVS (d) non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica et triſti veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuerit: Sabinos autem Lacedaemonum ἀποίκους *colonos* fuiſſe PLVTARCHVS (e) tradidit, et DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (f) ex domeſticis eorum hiſtoriis enarrauit.

§. 5. Vtcunque erit, morti tamen deſtinatos graeci obnubere ſolebant. De Athenienſibus teſtatur PLVTARCHVS, ex illo RAVANELLVS, et ex hoc IOH. HENR. VRSINVS (g) et EBERHARD. RVDOLPHVS ROTH, qui anno MDCLXXIII. exercitationem hiſtoricam in celeberrima Salana, de *velamine capitis virilis*, publicauit. Quorum vterque procul dubio ipſum locum chaeronenſis ſcri-

(d) Lib. I. 18.

(e) In Romulo. p. 26. ex edit. in fol. 1620.

(f) Antiq. Rom. L. II. p. m. 113. 11.

(g) In anal. ſacr. vol. I. l. 1. c. 14.

scriptoris suppeditasset, nisi aeque difficulter, ac nos, eum inuenisset. Bonus enim RAVANELLVS plus laboris in bibliotheca sua compilanda, quam curae in testimoniis veterum accurate proferendis, consumsit. Apud EVRIPIDEM vero Polyxena, Pirami infelicis Troianorum regis filia, in busto Achillis, Achiuorum magis furori, quam illius manibus mactanda, Vlyssi, qui deductum eam ad supplicium venerat, dixit: (h)

Κόμιζ' ὀδυσσεῦ μ' ἀμφιθεὶς πάρα πέπλοις,
ὡς πρίν σφαγῆναι, γ' ἐκτέτηκα καρδίαν
θρήνοισι μητρὸς, τήνδ' ἔτ' ἐκτήκω γόοις.

Me duc Vlysses, OBVOLVENS CAPVT peplis,
Nam antequam mactor, contabesco pectore
Prae luctu matris, eamque insuper neco
ploratibus.

Et constituta in loco caedis, cum nollet à quopiam corpus suum attingi:

Λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος,
ἔρρηξε λαγόνος εἰς μέσον παρ' ὀμφαλὸν,
μαστοὺς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
κάλλιστα.

Prehensos à summa peplos scapula,
ad mediam ventris et vmbilicum discidit
exe-

(h) In Hecuba. p. 22. a. Edit. Stiblini in fol. Basil. per Oporinum. 1562. Ibid. p. 24. c.

exeruitque mamillas pectusque in modum statuae Decentissimum.

ARISTOTELES (i) de Antiphontis poëtae supplicii sociis commemorat, eos *caput obuoluisse.* Ἀντιφῶν, inquiens, ὁ ποιητὴς, μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας, ἐγκαλυπτομένους, ὡς ἦσαν διὰ τῶν πυλῶν: τί ἐγκαλύπτεσθε ἔφη ἢ μὴ ἄριστόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων. *Antiphon poëta, cum Dionysii iussu ad supplicium duceretur, videretque eos, quibus secum vna moriendum erat, cum e portis exirent, caput sibi obuoluentes. Quid, inquit, caput obnubitis? anne quis vos horum cras videat?* Et Philotas, Parmenionis filius, parricidii reus, iniectis catenis, *velato capite* in regiam adducebatur. (k) Quod more macedonum factum arbitramur, quoniam ipse cum sociis et parricipibus consilii et criminis *more patrio* saxis obrutus fuit.

§. 6. Apud persas caput illius, cui rex irascebatur, obductum fuisse, ABEN ESRA, tanquam rem notam et peruulgatam in scriptis illorum, commemorauit ad Esth. VII. 8. ופני המן חפו *et faciem Hamanis operuerunt*, ita commentatus: *nam hic mos est regum Persarum, vt obtegant serui regis faciem*

(i) Rhetor. lib. II. c. 6. 48. (k) CVRTIVS VI. 8. 22.

ciem istius, cui rex indignatur, vt ne aspiciat illum rex amplius. Quae res peruulgata est in scriptis persarum. Sed non indignationem et iram regis persarum, Ahasueri, tantum; sed etiam mortis Hamani sententiam his verbis contineri putamus. Nam phrasis, *exiuit verbum à rege vel ore regis,* decretum regium innuit. Ita *Genes. XXIV. 50.* Laban et Bethuel dicebant ad Eliesérum, seruum Abrahami, qui petebat et ambiebat Rebeccam in vxorem Isaaci. *A Iehoua prodiit haec res,* i. e. hoc à Iehoua decretum est, *non possumus contra te loqui aut malum aut bonum.* Et *Danielis II. 5. 8.* Nebucadnezar inquit מלתא מני אזדא *verbum à me exiuit,* i. e. decreui. Adeoque sensus erit: *Cum rex rediisset ex horto palatii in triclinium, et, Hamane proiecto in lectum, cui accumbebat Esther, dixisset; an etiam subacturus est reginam apud me in ipsa domo? verbum prodiit ex ore regis,* i. e. decreuit rex ita: *faciem Hamanis obuoluunto.* Quo Haman morte condemnabatur. Nam, decreta mortis sententia, statim de genere supplicii eiusque accelerandi Charbona aulicus consilium dedit. Iam quidem antea, transuecto Mardocaio per plateam ciuitatis, reuersus domum Haman, *opertus capite sederat. Esther. VI. 12.* quod vero lu-

ctus et doloris tantum, quem ex honore Mardocaii ceperat, indicium fuit.

§. 7. Ebraei quidem obuoluebant vultum vel mortem alterius, vel suam calamitatem aut ignominiam lugentes. Ita Dauid lugens filii sui Absalonis necem לָאַט אֶת פָּנָיו *obuoluerat faciem suam*, 2. Sam. XIX. 8. Et, cum ante in fuga esset, propter illum ipsum filium regnum adfectantem, ראש לו חפוי *caput ipsi opertum erat*, et singuli, qui cum ipso erant, חפו ראשו *operuerant caput suum*, 2. Sam. XV. 30. Similiter ob siccitatem et sterilitatem terrae, quae sitis et famis mater erat, cum alii tum maxime agricolae pudore ignominiaque adfecti חפו ראשם, *caput suum obuoluerunt*. Ierem. XIV. 3. 4. Leprosi quoque, et alii in squalore et luctu constituti עטו שפם *mistacem obuoluerunt*. Leuit. XIII. 45. Mich. III. 7. Ezech. XXIV. 17. 22. Vnde MAIMONIDES probauit, lugenti prohibitam esse פריעת הראש *capitis nudationem*; (l) qui tamen ex Leuit. X. 6. vbi sacerdotibus vetitum est: אל תפרעי ראשכם *ne caput vestrum retegatis* ob luctum, vel ex ipsius sententia, *ne capillum nutriatis*, asseruit, cuinis lugenti non fuisse licitum tonderi. (m) Sed

(l) In Hilcot. Ebhel. cap. V. §. 19.

(m) ibid. §. 2.

Sed malumus פרע in significatu *retegendi* retinere et nihilominus obductionem capitis in luctu ebraeorum asseuerare. Est enim mutatio ab vno termino in alterum: quorum prior est retectio capitis et prioris ornatus et tegumenti remotio; posterior vero, capitis inuolutio squalido et lugubri tegmine facta. Qua ex parte magno quondam theologo pariter et philologo, MARTINO GEIERO, qui eruditissimum, de *Ebraeorum luctu*, librum confecit, assentimur. (n)

§. 8. At dubitatur, an capita morte damnatorum apud Ebraeos fuerint obuoluta. Imo, non succurrunt nobis loca, vbi nominatim id expressum et indicatum reperiamus. Sed ex causa et ratione, quam habebat obductio capitis, ab illis in quouis luctu facta, colligere possumus, non abhorruisse à moribus Ebraeorum consuetudinem obuelandi capita, supplicio destinatorum. Nam quae erat ignominia, quae infamia, qui luctus maior, quam istius, qui maleficus sceleratusque ad poenam capitalem rapiebatur? tantum vero abest, vt huic soli fundamento inhaereamus, vt potius tentemus in antiquitate scrutari, vbi solennis huius moris vestigia

(n) C. XI. §. 4. 5.

impressa sint. Nam qui grauissimis Dei iudiciis obnoxii sunt, ii, quasi damnati et ad supplicium trahendi, *obuolui* dicuntur et *operiri*. Ita Dauid poenam diuinam imprecatur hostibus suis יעטו חרפה וכלמה OPERIENTVR *opprobrio et ignominia quaerentes malum meum*, Ps. LXXI. 13 qui alibi Ps. XXXV. 26. dixit יולבשו בושת וכלימה INDVANTVR *pudore et ignominia, qui se efferunt contra me* et Ps. CIX. 29. ילבשו שטני כלימה ויעטו כמעיל בשתם INDVANTVR *aduersarii mei ignominia et* OBVOLVANTVR *tanquam pallio pudore suo*. Apud Micham VII. 10. ecclesia, quae optat inimicam suam diuinis suppliciis proximam videre, *et (vindex) respicias*, inquit, *inimicam meam* ותכסה בושה et OPERIES *eam pudore, quae dixit mihi, vbi est Iehoua DEVS tuus? oculi mei videant eam, iam conculcandam instar luti platearum*, alludens ad supplicium, quo Iesabel regina 2. Reg. IX. 37. hostis virorum Dei, periit. Obadias quoque Edomitis, qui Ebraeos grauiter adflixerant, minitans iudicia diuina. v. 10. *propter iniuriam*, ait, *in fratrem tuum Iacob operiet te ignominia, vt in aeternum exscindaris.*

§. 9. Vbi obseruamus primo, haec omnia metaphorice dici. Verba enim, לבש, עטה, כסה proprie ad velamina, pallia,

lia, ceteraque vestimenta referuntur; non vero ad pudorem, ignominiam et opprobrium; huc enim relata *translate* sumuntur. Quamuis vero cum vocibus בושת, כלימה, חרפה, per metonymiam de *ignominioso*, *probroso*, *pudendo velamine aut vestimento* expositis, memorata verba in sua natiua significatione recte coniungi possint: aperte tamen Ps. CIX. 29. metaphora innuitur, יעטו כמעיל בשתם obuoluentur TANQVAM PALLIO *pudore suo*. Neque certe in dubium quisquam vocabit, loca adducta, cum de hominibus loquantur, obnoxiis supplicio diuino, nullum alium, quam improprium sensum admittere. Deinde consequitur, vt metaphoram à certa quadam consuetudine tegendi et velandi non tam totum corpus, quam principem eius partem, caput aut vultum, deducamus. Nam ignominioso velamini opponitur corona, capitis ornamentum. Ps. CXXXII. 18. איביו אלביש בושת ועליו יציץ נזרו, *inimicos eius induam pudore; super ipsum vero florebit coronamentum eius.* Ita etiam PERSIVS dixit: (o)

Hesterni CAPITE INDVTO *subiere quirites.*

Aliquoties etiam בושת coniungitur cum

(o) Satyr. 3. v. 106.

פנים. Sic Daniel. IX. 7. 8. Auctor paralipomenorum, lib. 2. c. XXXII. 21. Esra. c. IX. 7. בושת פנים, *pudor faciei*, dixerunt. Et *tegi pudore vel ignominia* nominatim refertur ad vultum, Ierem. LI. 51. Ezech. VII. 18. Psalm. XLIV. 16. Psalm. LXIX. 8. מעיל *pallium* quidem, totum exterius obtexisse videtur hominem, vt praeter caput et imos pedes vix conspiceretur quicquam; sicuti MARTINVS GEIERVS in Comment. ad Psalm. CIX. 29. annotauit: sed tamen eiusmodi vestimenta, quae alias corpus tantum tegebant, etiam, quando casus ferebat, ad velandam faciem adhibita fuerunt. Ita Elias וילט פניו באדרתו *obduxit faciem suam pallio suo.* I. Reg. XIX. 13. Et THEOPHILVS RAYNAVDVS *in tractatu de Pileo*, quem quidam editori ANSELMO SOLERIO adscripserunt, de toga Romanorum, quae fere respondet Ebraeorum מעיל *pallio*, obseruauit, (p) per eam vel summam vel imam reductam tecta fuisse capita. Postea, quamuis capitis obductio et velatio faciei pudoris signum esset; pudor vero, vt ARISTOTELES (q) loquitur, sit λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελ-

(p) C. VIII. p. m. 83. edit. Lugdunens. in 4.

(q) Rhet. lib. II. c. VI. §. 2.

ἢ μελλόντων, *dolor et perturbatio animi orta ex iis malis, quae ignominiam inurere videntur, aut praesentibus, aut praeteritis, aut futuris;* adeoque varii dentur casus, vbi mos iste vel potuerit adhiberi vel adhibitus sit: ex eo tamen, quod sermo de puniendis à Deo hominibus sit, colligere licet, alludi ad consuetudinem capita maleficorum obnubendi ad supplicia rapiendorum. Quod fieri non potuisset, nisi ea apud Ebraeos etiam recepta et vsitata fuerit.

§. 10. Qua in sententia nos magis confirmat Ezechiel, qui, postquam praedixerat, Hierosolymam et terram Israëlis deuastandam esse gladio, cap. XXI. 6. eam statim luxit tanquam excidii supplicio destinatam, ita v. 20. אח עשיוה לברק מעוטה לטבח. *Ah! paratam fulguri* gladii v. 15. *obductam ad caedem.* Interpretes quidem haec non ad hierosolymam et terram Israëlis; sed ad gladium, tanquam *subiectum*, referunt. *Vulgatus* enim huius incisi verba, cum praecedente חרב, ceu epitheta cum suo substantivo, ita coniunxit: *In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti et limati ad fulgendum; amicti ad caedem;* et neque accentuum, neque emphaseos particulae אח, luctum et dolorem

rem animi acerbum signantis, rationem habuit. Quod tamen MVNSTERVS et TREMELLIVS fecerunt, qui vero מעוטה diuerso modo interpretati sunt: ille, *heu! factus est quasi fulgur, conditus ad mactationem;* hic, *ah! factus est ad coruscationem, acuminatus ad mactationem.* A quo haud ita multo discrepat *Lutherus; ach wie glinzt es, und häuet daher zur Schlacht.* Sed *exacuendi* significatus verbi עטה nondum satis probatus est. In *Michlal Iophi ad h. l.* R. SCHELOMO b. MELECH מעוטה exponit quidem per הוחדה *acuminatus;* nusquam autem alibi, quam hic, in eo sensu radicem hanc occurrere testatur. Si tamen velis quasi rudera eius in voce עט, quae instrumentum scribendi denotat, inuestigare, aeque incertum est, an *stilus* veterum ita dictus fuerit ab acumine, an vero ab altera parte obtusa, qua in cereis tabulis scripta *obducebantur.* Ita enim, praeter alios, vir πολυμαθέστατος IOHANN. ALBERT. FABRICIVS, *Horatium* in

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sunt
Scripturus,

respicere dicit (r) ad figuram stilorum, qui ex altera parte acuti erant, et scriptioni in-

(r) In Bibliogr. antiq. c. 21. p. 626.

inseruiebant, ab altera parte lati et ad delendum vel emendandum *obducendumque* scripta in cereis tabulis adhibebantur. Sin ex solo hoc textu *acuminandi* potestatem eruere velis, et eius asserere necessitatem; non videmus, quid opus fuerit, denuo exaggerari à propheta gladii aciem, quae iam non adumbrata sed satis expressa fuit. v. 14. 15. 16. Adeoque nil est, quod vrgeat, vt recedamus ab vsitato vocis significatu; dummodo cum hoc *subiecto*, ea ratione, qua illud hic describitur, *praedicatum* conueniret. Quid enim sibi vult *gladius amictus ad caedem*, *gladius conditus ad mactationem*, qui *exertus* dicitur *è vagina sua* v. 8. 9. 10. et *extersus vt fulguret* v. 15? Aliud itaque *subiectum* exquirendum erit, quod est *hierosolyma et terra Israëlis* v. 21. huius vaticinii princeps *obiectum*, cui praedicatum משטה, prouti supra è ritu obnubendi capita suppliciis obnoxiorum à nobis iam expositum est, quam optime competit. Neque enim propheta suspirans lamentabilem vocem, tam de gladio, à quo sibi ipse non timuit, quam de patria et gente sua per illum perdenda edidit.

§. 11. Posteaquam haec iam eramus commentati, nostras in manus incidebat ALEXANDER MORVS, qui *ad Esaiae prophetae caput*

caput LIII. de perpessionibus et gloriae Messiae notas dedit Amstelodami 1658. publici iuris factas. Vbi commemorat quosdam, qui comma nostrum interpretantes etiam ad damnatos romano ritu, iuxta praetoris formulam; *i lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito*, respexere et morem illum obnubendi capita damnatorum apud orientales viguisse ex *Iob. IX. 24. XL. 8.* asseruerunt, quibus ipse addit *Esaiae XXII. 17.* In quae loca paucis adhuc inquiremus. Quod ad vltimum locum *Esaiae* attinet, est ille particula denunciationis iudicialis, *Sebnae*, qui praefectus erat palatio, à propheta Dei iussu indicandae. Nam, cum Sebna, homo fastu et arrogantia insignis et magna dignatione florens, sibi monumentum sepulcrale construere statuisset; eum in ipso loco, vbi excidendum erat sepulcrum, adibat propheta nomine Dei et denunciabat ipsi euentura iudicia. Vbi, postquam redarguerat fastum et superbiam, statim subiunxit: הנה יהוה מטלטלך טלטלה גבר ועטך עטה: quod CAMPEGIVS VITRINGA transtulit: *Ecce Iehoua te proiiciet, proiectu virili, et operiendo te operiet.* Qui, quoad vltima consentit cum MVNSTERO, totum versiculum ita latinum reddente: *Ecce dominus traducet te ô*

vir

vir in captiuitatem, et operiendo operiet te (*confusione*); secuto *Chaldaeum*, qui habet, ותחפנך בהתא *et obteget te confusione.* Alii, quibus forte visus est haud satis conuenire huic loco proprius et vsitatus radicis עטה *operiendi* significatus; nescio quem sensum obtorto quasi collo adtrahere voluerunt. *Vulgati interpretis* versio: *Ecce dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus; et quasi amictum sic subleuabit te*, iudaicum ingenium sapit, iudice VITRINGA, qui eam HIERONYMO tribuit. Et dubito an etiam IVNIVS et TREMELLIVS sciuerint, quid sibi vellent vertendo: *Ecce Iehoua, qui contegit te integumento* (*quantum potest esse*) *viri, et qui amicit te belle.* LVTHERVS in versione vernacula habet: *Siehe, der HErr wird dich wegwerffen, wie ein Starcker einen wegwirfft, und dich zuscharren.* Vt iam *Alexandrinos interpretes*, *Abrabbanelem*, qui significatum radicis עטה hic ex voce עיט, quae *volucrem rapacem* denotat, petere voluit, ceterosque iudaicos commentatores sicco pede praeteream. Quos omnes sermonis obscuritas distraxit, quia negligebant obnubendi ritum, ex quo haec locutio suam lucem nanciscitur. Hac enim ratione עטה vsitatam suam significationem retinet, quam R. SCHELEMO b. MELECH in

MICH-

MICHLAL IOPHI ad h. l. recte expoſuit per העטיפה בכסות *obuelare tegumento.* Deinde quam optime accidit *obductio* in *Sebnam*, diuina ſupplicia ſubiturum. A qua expoſitione haud longe recedunt *Chaldaeus*, MVNSTERVS et VITRINGA ſupra nobis laudati, qui, licet digitum non intendant nominatim ad ignominiam damnatorum, probroſam tamen obductionem innuunt. Quod demum ad loca adducta ex *Iobo* attinet, prior de iudicibus à tyranno ad ſupplicium trahendis agit: ארץ נתנה ביד רשע פני שפטיה יכסה. *Terra traditur in manum improbi, faciem iudicum eius obtegit:* poſterior de poena ſumenda ab impiis ante ignominia et dedecore adfectis טמנם בעפר יחד פניהם חבוש בטמון *Abſconde eos in ipſo puluere vna; faciem eorum obliga in abſcondito.*

§. 12. Quodſi porro quaeramus, quibusnam potiſſimum reis caput obuolutum fuerit: eos fuiſſe reperiemus, qui *parricidii* et *perduellionis* rei erant. De parricidis clare teſtatur lex duodecim tabularum ſupra citata. Modum tamen obuoluendi eos paulo propius exponere videtur CICERO vel *quisquis ſit auctor librorum ad Herennium.* (s) Qui poſtquam legem adduxit,

(s) Lib. I. c. 13.

xit, *qui parentem necasse iudicatus erit, is obuolutus et obligatus corio, deuehatur in profluentem,* statim subiungit, *Malleolum iudicatum esse matrem necasse, ei damnato statim folliculo lupino os obuolutum esse, et soleas ligneas pedibus inductas, eumque in carcerem inductum.* Quam eandem historiam, nomine non expresso, repetitam inuenimus, in CICERONIS de *Inuentione* libro secundo (t). *Quidam iudicatus est parentem occidisse, ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes inductae sunt: os autem obuolutum est folliculo et praeligatum: deinde est in carcerem deductus, vt ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur.* Vnde collegerunt alii, *illis, qui perduellionis à duumuiris damnati fuerant, caput obnuptum. Os vero parricidis lupino folliculo in opprobrium immanis feritatis fuisse obuolutum.* (u) De perduellibus, et lex horrendi carminis, quam ex Liuio commemorauimus, et exempla Philotae praesertim atque Hamanis, quorum vterque crimine perduellionis damnabatur, satis superque testantur. Neque dubium est, hoc ferali ritu dignos fuisse hostes populi Dei, ipsumque populum in Deum et dominum suum rebellan-

(t) c. 50. (u) *Turnebus* aduers. lib. 13. c. 13.

tem, de quibus scriptura sententiam tulit. Vtrumque etiam crimen aeque capitale fuit. Non enim minus horrendum fuit omnem pietatem in parentes, quam in principem, patrem patriae, ipsamque patriam, eiusque leges, quibus libertas et tranquillitas innititur, abiicere. Quapropter non mirum est, parricidam dici, qui perduellis alias vocatur et vice versa. Vti apud CVRTIVM Alexander Hermolaum parricidam increpat, qui macedonas, rege adempto, deuictis gentibus dedere voluerit. (x) Et à FLORO (y) socii coniurationis Catilinae, qui strangulabantur in carcere, *parricidae* nominati sunt, et contra P. Horatio, qui sororem occiderat, *perduellionem* iudicabant duumuiri. Multo horribilius tamen est pietatem erga Numen sanctissimum violare.

§. 13. Erat vero perduellio, crimen imminutae maiestatis et grauissimum et atrocissimum, quippe quod ad vniuersae reipublicae statum labefactandum pertineret. Veluti, si quis aut regnum affectasset, vt Spurius Cassius, qui, postquam à quaestoribus Caesone Fabio et L. Valerio dicta fuit dies perduellionis, Ser. Cornelio. Q. Fabio Coss. damnatus et necatus est:

(x) Lib. VIII. 8. 17. (y) Lib. IV. 1. 10.

est: (z) aut, si quis omnino per proditionem et hostili animo quicquam commisisset, quod in reipublicae incommodum cederet; vt tribunus plebis, Sempronius, perduellionis se iudicare *Cn. Fuluio* dixit, cum hic ob exercitum in Apulia amissum, in suspicionem veniret, se potius ex proditione quam imperitia rei militaris rem male gessisse: aut, si quis magistratum populi Romani sacrosanctum violasset, vt C. Rabirius perduellionis reus factus est, quod Saturnium tribunum plebis, quamuis seditiosum et reipublicae perturbatorem, iniussu populi romani, occidisse diceretur; cuius capitis, famae, fortunarumque omnium defensionem Cicero suscepit: ac proinde, si quis postremis temporibus hostile aliquid in personam imperatoris molitus esset; quoniam tribunitiam potestatem imperatores totam in se transtulerant: aut denique, si quis ciuem romanum contra ius libertatis, legibus, Porcia maxime et Sempronia, concessae, in crucem tolleret, aut securi percuteret aut in lautumias coniiceret aut verberaret. Quicunque enim contra ius libertatis ciuem romanum, quasi peregrinum, tractasset, tanquam oppugnator libertatis

(z) Liuius II, 41.

romanae, reus perduellionis ad populum fiebat. Ius enim ciuitatis totum erat penes populum. Ideoque iudicio populi merito subiiciebatur, qui contra leges de iure ciuitatis ac libertatis populi quidquam fecerat. Cognoscebatur ergo hoc crimen à populo Romano, comitiis centuriatis, in campo martio; ad quod iudicandum primis temporibus duumuiri data opera constituebantur. Damnatos vero carnifex, in vrbem euocatus, in crucem, martio in campo fixam, vtplurimum tollebat. Quae omnia CALVINVS et PITISCVS vberius exposuerunt, quorum vterque simul quid inter hoc et aliud crimen maiestatis interfuerit, luculenter disseruit. (a) Vnde, quae ad nostrum scopum faciunt, hic decerpta dedimus.

§. 14. Si denique rationes inuestigamus, quare capita parricidii perduellionisque reorum obuoluerentur: non id factum putamus ex gratia et beneficio in damnatos, ne atrocitate supplicii nimium terrerentur et expauescerent, aut spectantium opprobriis vexarentur, vti arbitratus est H. F. SALOMON. (b) Tanta enim crimina

(a) *Ille* in Lexico iuridic. voc. *perduellis*; hic in lexico antiquit. Romanarum sub *perduellio*.

(b) *De iudicio et poenis romanorum* cap. XVII. in SALLENGRE nouo thesauro antiquitatum romanarum. Tom. III.

mina vix vllam admittebant misericordiam. Hinc etiam QVINCTILIANVS *in parricidae*, ait, (c) *cruciatus cum omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est poena quam scelus.* Et CICERO (d) capitis obductionem pariter, vt crucem, inter vestigia regiae crudelitatis retulit, et acerbitati suppliciorum adscripsit. Accedit, quod morte damnati, demum retecti, vltimum supplicium interdum subierint, vt vidimus apud EVRIPIDEM in exemplo Polyxenae, quae cum nollet à quopiam attingi, ipsa prehensos à summa peplos scapula ad mediam ventris et vmbilicum discidit; haec vero innocens maiori misericordia sane digna fuisset, quam perduellis aut parricida. Neque tamen plane in dubium vocabimus, caput suum obnupsisse damnatos, vel ex luctu atque dolore de infortunio suo, quin imo ex summa desperatione, quippe desperati sibi caput inuoluebant, vt Damasippus, excussus opibus suis, quem HORATIVS loquentem (e) ita inducit:

Nam male re gesta, cum vellem mittere operto
me capite in flumen.

Vel vt oculos animumque à propinquorum ploratu, lamentis, planctibusque ab-

(c) Declam. 199. p. m. 524.
(d) In orat. pro C. Rabirio c. 3. et 4.
(e) Sat. II. 3. 37.

ducerent, suasque contra lacrymas vbertim manantes absconderent, quemadmodum laudata Polyxena, cum vellet ab Vlysse, ducente eam ad supplicium, suum caput peplis obuolui, rationem addit: *Nam antequam macter, contabesco pectore prae luctu matris eamque insuper neco ploratibus;* vel, quia eos infamiae suae pudebat, sicuti Antiphontis poetae socios ea de causa obiurgatos ab ipso, *quid,* inquiente, *caput obnubitis? anne quis vos horum cras videat?* sed cum in hisce casibus id sua sponte fecisse videantur ad mortem rapti; quod in parricidis et perduellibus ex lege et iussu tanquam pars supplicii requirebatur, praeter has, alias forte causas cogitare debemus.

§. 15. Quantum itaque nobis cognoscere licuit, primum suspicamur, parricidii perduellionisque reorum capita obducta fuisse in summae ignominiae atque seruilis nequitiae infamiaeque argumentum et indicium. Hac de causa illustres personae capite vultuque aperto ad supplicium trahebantur. Sicuti *Vitellius* caesar, religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viae sacrae spatium, *reducto coma capite, ceu noxii solent,* at-

atque etiam mento mucrone gladii subiecto, vt visendam praeberet faciem, neue submitteret. Quemadmodum SVETONIVS (f) tradidit, ad quem commentatus est ISAACVS CASAVBONVS, *morem in illustrium personarum supplicio seruari solitum, vt capite nudo et elato, quo dignosci omnibus possint, traherentur ad supplicium: sic apud Polybium, Danaen illustrem feminam rapi* διὰ μέσης τῆς πόλεως ἀκατακάλυπτον; *Dionem in Seiani supplicio dicere,* μὴ ἀπεκάλυπτον ἐπικαλυπτόμενον. Hinc etiam nefas erat romanorum ciuium capita inuoluere. Quandoquidem CICERO pro *C. Rabirio*, (g) *mors denique*, ait, *si proponitur, in libertate moriamur; carnifex vero et obductio capitis, et nomen ipsum crucis absit, non modo à corpore ciuium romanorum; sed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solum euentus atque perpessio, sed etiam conditio, expectatio, mentio ipsa denique, indigna ciue Romano atque homine libero est.* Et idem ille *TVLLIVS Verrem* accusat, (h) quod *capitibus inuolutis in piratarum captiuorum numero produci iusserit ciues romanos, vt securi ferirentur.* Et iam antiquo regum tempore, cum P. HORATIVS pater pro filio victore; sed ob

(f) In Vitellio cap. 17.
(g) cap. 5.
(h) In Verrem. 5. cap. 28. 60.

caedem sororis manifestam, perduellionis reo, apud populum deprecaretur, indignum asseuerabat, tam ignominioso et seruili modo, eum qui patriam imperio auxerat, condemnari: *I, lictor, colliga manus, quae paulo ante armatae imperium populo romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris vrbis huius, arbori infelici suspende.* (i) Vbi itidem obseruamus, capitis obductionem coniunctam fuisse cum seruili supplicio crucis, quo etiam perduelles puniebantur.

§. 16. Deinde, qui tam atrox et horrendum scelus admiserant, eorum velabantur capita: quoniam, qui tam nefarie atque sceleste parentes, magistratus, patriamque offenderant, indigni ducebantur, qui aura patente atque aperta fruerentur, coelum, solum patrium, suosque ciues conspicerent, et ab iis vicissim conspicerentur. Ideo apud QVINCTILIANVM (k) traditum est, quod *parricidae ora oculosque à iudicio lex iusserit obduci, ne hunc iucundum coeli aspectum polluerent tetri oculi.* Et IOH. CALVINVS parricidas recte credidit obuolutos ab antiquis, quod eos indignos censerent, qui communi spiritu luceque fruerentur. (l) In-

(i) Liv. I. 26. 11.
(k) Declam. 199 p. 151.
(l) In *Lexic. Iurid.* voce parricida ex TVRNEBI Aduers. l. 13. c. 13.

Interdum illi, qui in ius rapiebantur, velati sunt, ne seditiosa voce vultuque lamentabili multitudinem concitarent, vti videmus in *Decio Magno*, qui quoad capite aperto est ductus, concionabundus incessit ad circumfusam multitudinem vociferans: cui vociferanti, quum moueri vulgus videretur, obuolutum caput est. (m) Interdum vero illud ipsum velamen, simul iniustitiae tegumentum erat, quam in insontes liberosque homines exercebat iudex. Ideo *Verres* à CICERONE accusatus fuit, quod ipsius iudicio ciues romani, *ne cognoscerentur, capitibus obuolutis è carcere ad palum atque necem raperentur.* (n)

§. 17. His excussis, vt demum videamus, quomodo euentus vaticinio Iesaiae responderit, animaduertimus, quod IESU Nazareno, nostro liberatori, duci et vitae magistro, quem omni nisu morti traditum volebant, summi sacerdotes, populi iudaici principes et legis periti, perduellionem iudicauerint. Cum enim proditum à suo discipulo, et in iudicium magni senatus hierosolimitani, obtorto quasi collo raptum, falsi testes subornati, criminarentur, ipsum dixisse, destructurum se templum Dei et triduo post instauraturum; iudices vero

(m) Liv. lib. 23. c. 10. 7. sq. (n) In Verrem. 5. 28.

suspicarentur, se nihil hac re penes romanos, apud quos vt summum imperium, ita et ius necis erat, effecturos, quia religionem legemque iudaeorum pro vana superstitione habebant; ex adiurato Iesu quaerebat Caiphas an sit Christus, filius Dei? non negantem eum, qui omnino rex salutis erat, quem patres expectauerant, simulata indignatione, summus sacerdos cum assessoribus suis, quasi testes auriti, qui, reo confitente, amplius nullius indigerent testimonio, arguebant blasphemiae et capitis damnabant. Postquam vero ne sic quidem mouissent romanorum praesidem, vt suam sententiam confirmatam exequeretur: ipsi optime scientes, quod Christus futurus sit rex aeternus populi sui, intuitu imperii, cui subiecti erant, perduellionis actionem intenderunt. Accusabant itaque Christum coram Pontio Pilato, eumque ex triplici ratione perduellem asserebant: primo, quod concitauerit populum ad seditionem defectionemque; deinde, quod negauerit stipendia Caesari soluenda, et tum demum, quod se regem iactarit. Luc. XXIII. 1. Quamuis itaque huius actionis alia nulla fundamenta esse, quam inuidiam odiumque cognosceret Pilatus, Luc. XXIII. 14. 22. minis tamen

men et metu offensae Caesaris adigebatur, vt iniustae sententiae subscriberet. Sic enim fieri solet, vt impietas atque iniustitia se periculosa potentium offensa muniat.

§. 18. Fraudis suae et nequitiae maxime conscii erant primores populi iudaeorum, sed autoritate et gratia sua, plebisque furore atque coecitate, suae iniustitiae tegumento, abusi, persuadebant multitudini miserae, quam nefandum et exitiosum sit toti genti Iesu Nazareni crimen. Quo collimabat vox Caiphae, altioris veritatis, quam peruersa mens auctoris caperet, index: *melius esse, vnum mori, quam totam gentem perire.* Ioh. XVIII. 14. Hinc ex summorum sacerdotum et principum persuasu, Matth. XXVII. 20. maius maleficium et scelus Christum, quem pro perduelli habebat multitudo, commisisse opinabatur, quam Barrabam seditiosum homicidam, huncque prae illo liberari malebat. Hinc infausta acclamatio, *tolle! crucifige!* quia crux perduellionis poena erat. Hinc denique ipse Pilatus, vt populo faueret, cruci Christi causam mortis inscripsit: *IEsus Nazarenus Rex Iudaeorum.*

§. 19. Quae cum vati Iesaiae in visione prophetica, tanquam ea praesens videret, exhiberentur, sub eorum praesertim persona,

sona, qui ex populo suo ad sanitatem reuersi erant, querebatur: tanquam *abscondens faciem à nobis contemtus erat, vt nihili eum reputaremus: veruntamen ipse omnino infirmitates nostras tulit etc.* Vbi potissimum מִמֶּנּוּ interpretes vexauit, quod geminam fert expositionem *à nobis* et *ab illo.* Qui posteriorem amplectuntur, vocem intorquent אִישׁ, quam omissam putant, ita: *et* fuit quisque *tanquam occultans faciem ab eo.* Neque tamen sic pronior fit oratio, praesertim cum in praedicatis ad vnum respicientibus eaque de causa per particulam copulatiuam arcte connexis, durior sit repentina subiecti mutatio. Quamuis itaque solertissimus Iesaiae interpres, VITRINGA hanc approbauerit explicationem, alteram reiecerit: reiectae tamen suscipimus defensionem; non vero ea ratione, qua solent ii, quos refutauit. Quidam enim illorum, qui vertunt incisum nostrum, *et fuit tanquam occultans faciem à nobis*, hunc dant sensum; Messiam *habitum esse tanquam leprosum*, quippe quorum erat *labrum superius obnubilare.* Leuit. XIII. 45. Sed cum hic non partis sed totius faciei velatio innuatur, neque vllum vestigium inueniamus in historia mortis Christi, vbi par habitus fuerit leproso: nec nobis se haec sententia commen-

mendare potuit. Alii vero, qui putant, *Messiam prae grauitate et indignitate passionum suarum veluti pudore suffusum faciem occultasse*, (o) propius quidem ad metam tendunt; sed se attigisse eam, non est, quod glorientur. Miramur itaque ALEXANDRVM MORVM (p), cum mentionem iniecisset moris obnubendi capita damnatorum, *simpliciter intelligere voluisse τὸ δυσωπῆν, vt Graeci loquuntur, h. e. pudorem, quem incutiebat spectantibus abiecta conditio.*

§. 20. Nam autoritate, persuasu atque inductu principum suorum quasi effascinatus iudaeorum populus, Christum non regem suum agnoscebat; sed ipsum perduellionis reum detestans, dignum iudicabat seruili ignominia, cuius insigne erat capitis obductio: quae μορφὴ δούλου, *forma serui* erat, quam assumserat Christus. Phil. II. 7. vt ipse se submitteret, factus obediens vsque ad mortem crucis. Deinde ob imputatum ipsi horrendum crimen, quod toti genti exitium minaretur, eum indignum aura vitali, indignum coeli, terrae, ciuiumque que conspectu statuebat, quasi *execramentum:* vnde et Paulus dixit *Christum factum esse pro nobis κατάραν execrationem.* Gal. III. 13. Quae si consideramus, inde rationes incre-

dulitatis

(o) Vitringa comment. in Iesaiam. tom. II. 665. b.

(p) In notis suis ad Iesa. LIII. p. m. 30.

dulitatis gentis Iudaeae multo luculentius perspicere possumus, quas merito hic explicari docet CAMPEGIVS VITRINGA, quam si detortam expositionem, *fuit tanquam aliquis, à quo quis faciem occultaret*, sequamur. Quippe seruilis ignominia et execrabilis habitus scandalo erat plurimis. Quare cum laudato VITRINGA omnino hoc vaticinium ad extrema Christi et ignominiosi supplicii opprobrium referimus, vbi *contemtus*, quo gens rupem salutis suae prosequebatur, se manifestissime prodidit.

§. 21. Forsan obiiceret quispiam, nullibi in historia passionis inueniri, *Christi caput obnuptum esse, tanquam rei perduellionis*: quae enim Marcus, XIV. 65. et Lucas, XXII. 64. tradiderunt, *quod obuelauerint faciem eius, eique colaphos inflixerint, dicentes, vaticinare, quis sit, qui te percusserit?* ea non ex more solenni, sed ex priuato ausu, et malitiosa illusione militum facta esse. Veruntamen, si vel maxime ludificatio proteruorum hominum accesserit, ex eo non euincitur, non ex publica et solenni consuetudine obductam fuisse faciem Iesu Nazareni, praesertim cum ea obductio statim secuta sit mortis sententiam, quae in proxime antecedenti versu adducta est. Esto autem, non ex solenni ritu, sed ex priuata militum proteruia Christum velatum fuisse; quia non capite obducto ad supplicium tractus fuit, et CICERO eum morem recentiori reipublicae Romanae tempore antiquatum innuit; vel, quia

iam

iam pridem non solum tenebris vetustatis, verum libertatis oppressus esset; vel quia eo crudeles homines, sicuti Verres, abutebantur, vt insontes, ciuesque romanos, capitibus obuolutis, ne cognoscerentur, ad necem rapere possent: nostra tamen expositio ea re nequaquam subuertitur. Primo enim propheta nominatim addit particulam similitudinis כ, *tanquam: Fuit TANQVAM abscondens faciem à nobis:* quod nemo eorum, qui ad *velationem leprosi* refugerunt, in dubium vocabit: quoniam nunquam Christi vultus, vt leprosi, re vera obuolutus est. Deinde per metonymiam *signum*, quod non amplius receptum est, pro *signato* poni solet: quod fit in locutionibus frequentissime, quae ab antiquis ritibus desumtae sunt. Ea de causa, sine vlla vberiori disquisitione, an Christus velato capite tractus fuerit ad necem, an non? idem *tanquam abscondens faciem à nobis*, quod, *tanquam perduellionis reus*, esse dicimus.

§. 22. Si quis porro dixerit, מַסְתִּיר *abscondens faciem*, actionem significare; non vero ipsos reos abscondidisse faciem suam, sed eorum caput obnuptum fuisse à lictoribus: possemus quidem ad *Alexandrinos interpretes*, et AQVILAM prouocare, quorum illi, ὅτι ἀπέστραπται τὸ πρόσωπον αὐτῆς; hic, ὡς ἀποκεκρυμμένον τὸ πρόσωπον αὐτῆ habent; vtrique vero כְּמַסְתִּיר legisse videntur; sed, ne in textu quicquam permutatum temere permittamus, notandum, reos modo à lictoribus obnuptos esse; modo lictorum iussu

iussu seipsos obnupsisse: deinde verbum apud Ebraeos saepius actionem seu effectum videtur exprimere, quod de debito aut permissione exponi postulat. (q) Denique, quod ad Messiam attinet, ipse ex libera sua voluntate, tantam ignominiam, tantumque supplicium sanctus et innocens subiit. Hinc etiam Christus Pilato, *scisne*, inquienti, *me potestatem habere crucifigendi te, et potestatem habere te dimittendi*, respondit: *non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi datum esset superne.* Ioh. XIX. 11. Et Paulus docet Phil. II. 7. Christum ipsum *sese inaniuisse, forma serui accepta, similem hominibus factum et habitu inuentum vt hominem, ipsum se submisisse, factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Si tandem esset, qui miraretur, nos ex romano ritu potissimum ebraeam locutionem exponere: is sciat, vatem diuinum rem expressisse, prouti exhibita ipsi fuit in visione prophetica: praeuidit vero Messiam supplicium romanum subiturum; quod etiam euentus confirmauit. Matth. XX. 19. Ioh. XVIII. 31. 32. Hinc ex romanorum consuetudine locutus est. Adeoque sensus erit totius incisi: *Tanquam perduellis, seruilis nequitiae et ignominiae homo, indignus ob nefanda sua crimina nostro conspectu, contemtus erat, vt eum vili penderemus.* Cui eleganter opponuntur subsequentia: אבן *sed omnino non fuit, sicuti putauimus, quoniam ipse infirmitates nostras tulit, nostrosque dolores baiulauit.*

(q) Danz. interpr. §. 68. edit. plen. §. 96.

INDEX.

Aaron typus Christi aeterni sacerdotis summmi. 134.
gemina vnctione geminum habebat respectum. 135
AbenEsra, notatur 85. citatur 148. et alibi.
Abortus v. foetus abortiuus.
Abrabbanelis falsa opinio de dignitate Psalmorum Dauidis 118. de Danielis prophetia. 119. ipse citatus 85. 117. et alibi.
Actio typica et materialis, si Deo tribuatur, quomodo exponenda. 134
Alexandrini interpretes. 2. 175
Allegoria, quid sit? 127
Ἀναζωπυρεῖν. 92
Ἀναλαμβάνειν. 45
Ἀναλέγειν, ἀναλογή. 2
Antiphon poeta ad supplicium trahitur. 148
Antitypi, corpus sunt et expressa rerum forma. 125
Apostoli purgandi primum per Sp. S. 97
- in eorum diuinam auctoritatem Iudaeorum machinae vanae. 121
Apparitiones Christi post resurrectionem Paulo factae sex. 52. sq.
- Eliae Iudaeis fictae et vanae. 113
Aquila. 26. 175
Arca foederis eiusque operculum typus Christi. 19

Aristophanes. 92
Aristoteles. 148.154.
- eius dignitas eadem statuitur à iudaeis quae Salomonis. 119
Aromatum species variae in oleo sacro, donorum variorum Spiritus S. typus. 136
Augustinus. 77
Aulaeum interius tabernaculi imago carnis Christi. 19
Aurora prima. 7
Aurorae columna ib.
- figura θεανθρώπου, ibid.

B.

Basilius. 92
Baptismus Spiritus et ignis. 93
- ignis. 95
- aquae, quid sit? ibid.
Bath-Kol. 112.115.
Bechai R. de Spiritu S. opinio. 118
Bellarmini deliramenta de euangelistis. 119
Buddeus Io. Franc. 16
Buxtorfius, 47

C.

Caiphae vox altioris veritatis index quam peruersa mens capiebat. 171
Caluini, Ioh. Lexicon iurid. 164.168
Capellus, Ludov. 53
Capitis obductio cum seruili supplicio crucis coniuncta. 168
- seruilis ignominiae insigne. 173

Caput obnubendi damnatorum mos Romanis vsitatus. 144
- huius moris rationes inuestigantur. 164 sq.
- in ignominiam et seruilis nequitiae infamiaeque argumentum fiebat. 166
- an mos iste à graecis acceptus? 145
- graecis vsitatus. 146
- Persis itidem. 148
- an Ebraeis etiam? 150. sq.
Carpzouius, Io. Gottlob. hagiographorum diuinitatem vindicauit. 121
Casaubonus, Isaacus. 167
Chaldaeus interpres. 159. et passim v. *Ionathan*.
χαρις. 33
Cherubini in arca foederis quid designant? 19
Christus lux, sol. 3. 4. 93
- communis omnium redemtor. 10
- rex aeternus. 16
- dominus, אדוני, sustentator etc. 17
- Iehoua rex insidens Cherubinis. 18
- vnctus à patre 134
- Sacerdos summus vnctus ib.
- non fuit sub imperio mortis. 42. sq.
- an obnupto capite ad mortem tractus? 174
- ex libera voluntate ignominiam et mortem innocens subiit. 176
- vid. etiam *Messias*, *Iesus Nazarenus*.
Christi regni bona. 36
- status exinanitionis. 42. sq.
- exaltationis. 44
- concio in via emauntis. 39
Christiana fides antiquissima. 35. sq.

Cicero. 144. 160. 161. 165. 167. 169. 174.
Ciuium romanorum capita inuoluere nefas. 167
Clemens alexandrinus. 91
Clericus, Iohann. notatus. 37
Codicis ebraei diuisio in tres partes. 116
Cognitionis V. et N.T. ratio diuersa. 11
Conticinium noctis V. T. 9
Crux poena seruilis romanorum. 168
Cultus V. T. externus imago cultus interioris N. T. 133
Curtius. 148. 162

D.

Daniel habet vaticinia exploratissima de Christo. 120
- vocatur Propheta à Christo. 121
Danielem è numero prophetarum eiiciunt iudaei. 119,120
Danzius, Io. Andr. 12.13.14.30.31.100.113
Dauid *vir Dei* nominatur à Nehemia. 121
Dauidis prophetiam non perfectam statuunt Iudaei. 118
- libri psalmorum dignitatem, quam statuit Abrabbanel. 118
- vaticinia de Christo exploratissima sunt. 120
Dauidem è numero prophetarum eiiciunt Iudaei. 120
Dauren. 47
Descensus ad inferos inter viuificationem et resurrectionis manifestationem ponitur 44
Dionysius Halicarnassensis. 146

Disci-

Discipuli Iesu erant conclaue sanctius verbi, quod caro factum. 30
Diuinitas in Christo *corporaliter* in tabernaculo *vmbratice* habitauit. 19
Dorscheus. 128
Durare. 47

E.

Ebraei, in quo casu caput obuelauerint 150.155
- an capita morte damnatorum obuoluerint? 151.155
Ebraei codicis. v. codicis.
Eraearum et chaldaearum vocum index, quae hic illustrantur et explicantur.
ארוני, accommodatur vltimae Sephirae in Kabbala. 17
- quid inuoluat. ibid.
- Christo conuenit. ibid.
אורים ותומים 115
אחרית הימים 127
אסטקלריא 115
בושה, בושת 153
בושת cum פנים 153.sq.
בער 90.sq.93
בת קול 112.115
דמים 96.97
דור 46
חדיח 95.sq.
חסד 33
חרפה 153
כבוד יהוה. v. gloria Domini.
כוהן משיח 130
כלימה 153

כסה 152
לבש ib.
לקח, assumtus est, complectitur statum exaltationis. 44
מימרא v. Memra.
ממנו 173
מסתר 175
מעיל 154
מעוטה 156
עוצר, statum exinanitionis comprehendit. 42
עט 156
עטה 152. 159
עמוד השחר v. aurorae columna.
פלטה 94
פרי הארץ 86
פרים, fructus eorum. 102
פריעת ראש 150
צואה 96
צמח 2
צמח יהוה 84. 86
קרב 96
רב חסד 31
רוח 89
רוח בער 88. 91
רוח האל 115
רוח האלהים 115
רוח המשפט 88
רוח הקודש 88
רוח יהוה 115
רחץ 95
שארית יעקוב 103
שוח

שוח 48
שומרים 5
שכינה v. Schechina.
Ecstasis quae? 54
ἔκτρωμα. 60. sq.
Eisenmengerus laudatus. 114. sq. 112. sq.
Eliae apparitiones vanae. 113
Esther VII. 8. nouae quid lucis affunditur. 149
Euangelistarum auctoritate Bellarminus detrahit. 119
- Iudaei itidem. 121
Euasio Israelis v. reliquiae.
Euripides. 147. 165
Excubitores. 5. 6.
Exiuit verbum à rege, denotat decretum. 149
Ezechielis cap. XXI. nouae quid lucis affunditur. 155

F.

Fabricius (Ioh. Albert.) 156
Felicitas futura, non huius vitae, erat finis religionis V. T. 36
Festus. 145
Fides christiana antiquissima. 35
- V. T. non huius vitae sed futurae beatitudinem promisit. 36
Fidei fundamentum dogmaticum et reale. 124
Filia vocis, ficta in christianorum odium. 113
Filii vnigeniti gloria. 33
Fines seculorum qui? 127
Flacius. 34
Florus. 162

Foetus abortiuus. 60
- cum eo Paulus se comparat. ibid.
- depingit Pauli triplicem statum. ib.sq.
Frederus, Ioh. 40
Frischmuth, Ioh. 117.119
Fructus labiorum. 102
Fructus terrae, Messias. 87
Fullerus de montis Moriae nomine. 26
Fuluius perduellionis reus et quare? 163
Fundamentum fidei v. fidei fundamentum.
Furius, Consul, reus 145

G.

Gallicinia. 6
Germen Iehouae, Messias. 2.84.86
Geierus, Martin, de *luctu*, commendatur 151
- eiusdem comment. in Psalm. 154
Glassius. 31, et alibi.
Gloria Christi. 34
Gloria Domini. 11
- est plenitudo gratiae et veritatis. 33
- filium Dei et totam trinitatem significat. 13.14
- est simulacrum verbi Dei inter homines habitantis. 12
- per ignem et nubem significatur. 11
Graecorum mos obnubendi caput damnatorum. 146
γραφή, denotat *sensum literalem*. 69.126
Grotius, Hugo, notatur. 37

H.

Hackspanius 122

Hamanis, morte damnati, caput obuoluitur. 149
Hanna vidit gloriam Domini. 28
Hasaeus Theodor. 6
Hermon, mons, describitur. 106
Hieronymus. 127. 159
Hiskias, an typus Christi tertio die suscitati? 68
Hoseas, propheta, à Paulo in deliciis et oculis habetur. 71
- quae signa dat temporum N. T. 72. sq.
- praedixit tertium diem resurrectionis Christi. 76. sq.
Horatius, poeta, allegatus. 156. 165
Horatius, victor, parricida, reus. 144
Hulsius, Anton. notatur. 70
- commendatur. 143

I.

Iehoua rex insidens cherubinis. 18
Iesaias clare et perspicue vaticinatur de temporibus N. T. 83. 142.
Iesaiae c. XXII. nouae quid lucis affunditur 159
Iesaias praevidit Messiam supplicium romanorum subiturum. 176
Iesus Nazarenus diuinam suam praesentiam exhibet in templo. 29
- est subiectum vaticinii Iesaiae LIII. quod probatur. 41
- est centrum, stella, scopus scripturae S. 65
- vnica veritas. ib.
- fundamentum fidei reale. 124
- idque diuerso modo reuelatum. ib.
- perduellionis accusatur et damnatur. 169. sq.

- idque ex triplici ratione. 170
- eum perduellem esse, populo à primoribus persuadetur. 171

Ignis in monte Sinai obuelatus caligine maiestatis diuinae signum. 12
- innuit diuinam naturam. 13
- eius duplex virtus. 91
- ei vita tribuitur. 92

Ikenius, Conradus. 5

Iohannes euangelista, vnde notitiam verbi substantialis hauserit. 23

Iohannes, praecursor Christi, phosphorus. 1.4

Ionas typus Christi tertio die suscitati. 68

Ionathan Chaldaeus notatus. 47
- testis veritatis. 86
- magnae auctoritatis apud Talmudicos, 86

Isaacides, R. Salomo, notatur. 85

Isaacus, typus Christi, tertio die suscitati. 68

Iudaei an causam habent querendi, domini gloriam sibi non apparuisse. 29
- quare non agnouerint gloriam Dei in Christo? ibid.
- hostes veritatis. 112. 121
- caute in testimonium veritatis adhibendi. 113
- finxerunt apparitiones Eliae et filias vocis in odium Christi. ib.
- cauillantur doctrinam nostram de Spiritu S. 114
- falsam opinionem habent de Spiritu sancto. 115
- eorum versuta malitia in oppugnandis vaticiniis de Christo. 119

Iudaei quomodo evangeliſtarum et apoſtolorum diuinam auctoritatem diminuere velint. 121
- quomodo Spiritus S. diuinitatem et totam trinitatem ſubuertere ſtudeant. ibid.
- veteres aliter intellexerunt Spiritum S. quam hodierni. 122
Iudaeorum primores fraudis ſuae et nequitiae in Ieſum conſcii erant. 171
- eorum auctoritate multitudo imperita effaſcinata. 171. 173
Iuuenci labiorum. 102

K.

Kabbala iudaeorum fallit incautos. 113
- fauet hoſtibus trinitatis. ibid.
- antiqua ſanior. 15. 17
Karo, R. Iſaac, eius opinio de triplici reuelationis gradu. 115
Kimchi, R. Dauid 84. et alibi
- laudatur. 85
- eius de Spiritu S. et prophetia ſententia. 116

L.

Lampius, Fried. Adolph. 34
Langius, Ioachim. 53
Laniado, R. Samuel. 88. 96
Λῆμμα καὶ ἐκλογὴν χαρίτος. 95. 103
Liecht und Recht. 115
Ligtfootus, Iohann. 2
Lipmanni Nizzachon notatur. 47
Liuius. 144. ſqq. 169

Lumina duo, rationis et reuelationis. 123. sq.
Lutheri versio laudata. 48
- allegata 156. 157. et passim.
Lux diuinam naturam innuit. 13
- vitae. 93

M.

Macarius. 92
Maimonides. 33
- eius sententia de Spiritu S. 117
- de capitis lugentium nudatione. 150
Mane obscurum. 6
- summum. 4
Manlius, consul, reus. 145
Manus Domini. 54
Martini, Raymundus. 75
Menzerus, Balthas. 43
Memra, verbum, secunda persona deitatis. 89
- an etiam tertiam denotet? ibid.
Messiae longaeuitas. 48
- temporibus resurgent mortui ex iudaeorum doctrina. 79
Messias germen Iehouae. 84. sqq.
- fructus terrae. 87
Mons Hermon v. Hermon.
- Iehouae et domus Iehouae. 27
- Moria v. Moria.
- Sionis quid significat? 107
Moriae situs et nomen. 26
- ei superstructum templum. 25
- ad eum hierosolyma theatri speciem habuit. 26

Mors non habuit dominium in Christum. 42
Morus, Alexander. 157.173
Moses, quomodo gloriam Domini viderit? 32
- eius reuelationis modus per sensus externos. 54
- eius prophetiae gradus excellentissimus, 116
- vocatur speculum lucidum. 116
Mulleri iudaismus. 120
Munsterus, Sebast. 156. 158. et alibi.

N.

Natura imago rerum spiritualium. 100
Nubes in tabernaculo. 11
- obuelabat ignem. ibid.
- praefigurabat naturam Christi humanam. ibid.
Numa Pompilius, an Pythagorae discipulus. 146
- instructus disciplina Sabinorum. ibid.

O.

Odor cognitionis Christi. 136
Oleum sacrum vnctionis:
- typus donorum Spiritus S. 129
quod probatur. 131
- ex quibus speciebus componebatur, 130
- vngebantur eo personae et vasa. ib.
- admixtum sanguine victimarum, 131
quid significarit? 135
- vim habuit sancta reddendi Deo. 131
an proprie capax fuerit tantae virtutis. 132. sq.
- carni humanae non infundebatur. 131

- quid hoc significarit? 136
- peregrino non tradebatur, 131
quid hoc significarit? 136
- in templo secundo defuit. 131
quare? 136
- fragrantissimum fuit: 130
quid hoc significarit? 136
- laetitiae. 136
Ortus ex altitudine, an germinis an solis? 2
- instans natiuitas Iesu. 7
- oriebatur iudaeis et gentibus. 8

P.

Pallio obductum caput. 154
Parabola, quid est? 128
Parricida pro perduelli et vice versa, 162
Parricidii reis caput obnubebatur. 160
Pastores in agro primi perceperunt gloriosam
- praesentiam filii Dei. 27. sq.
- primi eius praecones. 28
Paulus, apostolus, iudaicae atque gentilis eruditionis peritus. 51
- cur talis in apostolum lectus. ibid.
- ei apparuit Christus post suam resurrectionem. 51
- idque varie. 52
- è damascena via testis auritus et oculatus Christi suscitati rediit. 56
- apparitio ei facta confertur cum reuelatione Mosis; 59
- cum apparitione Christi apostolis reliquis facta post resurrectionem. 59
- foetus abortiuus. 60. sq.

- eius ſtatus prior gratiae, 60
- lapſus et ſtatus perditiſſimus, 61
- reſtitutio. 63
- de virtute Domini ſuſcitati convictus. 63. ſq.
- Hoſeam in deliciis et oculis habuit. 71
- quomodo ſenſum literalem, quomodo typos alleget. 126. ſqq.

Perduellionis reis caput obnubebatur. 160
- crimen deſcribitur. 163
- eius cognitio et poena. 164

Perduellis pro parricida et vice verſa. 162
Perſarum mos obnubendi caput damnatorum. 148
Perſius. 153
Perſonis illuſtribus caput non obnubebatur. 166
Philotas parricidii reus. 148
- velato capite adductus. ibid.
- more patrio ſaxis obruitur. ibid.

Pitiſci Lexicon antiquit. Roman. 164
Plautus. 92
Plutarchus. 146
Polyxena, Priami filia, in buſto Achillis mactata. 147. 165. 166
Potentia Domini. 54
Prophetae ſtillantes et rorantes. 109
Prophetiam et Spiritum S. diſtinguunt iudaei. 116. ſq.
Pſalmorum Dauidis dignitatem, quam ſtatuant iudaei. 118
Purificatio duplex per Spiritum. 98

Q.

Quinctilianus. 165. 168

R.

C. Rabirius, perduellionis reus. 144
- quare? 163
- à Cicerone defensus. 163
Rambachius, Io. Iac. 77
Rauanellus. 146. 147
Raynaudus, Theophil. de Pileo. 154
Regius, Vrbanus, de Christi concione in via Emauntica. 39
Regnum Christi non est huius mundi. 36
- eius bona qualia? 36
Relandus. 131
Reliquiae Israëlis. 94
Residuum Iacobi. 103
- Israëlis. 95
Resurrectio carnis articulus fidei V. T. 37. sq.
- isque fundamentalis. 38
Resurrectio Christi ex V. T. probatur. 66
- tertio die facta praedicta *literaliter* ab Hosea. 72. 76
- eius figurae et typi. 67. sq.
- eius testis auritus et oculatus est Paulus. 56. sqq.
- eius testes haud infringendi. 50
Resurrectio è mortuis continuatio vitae per resuscitationem spiritualem in piis inchoatae. 80
Resurrectio fidelium, quae est? 78
Resurrectionis Spiritualis media. 80
Reuelatio per sensus externos:
- eius maior conuincendi virtus. 54

- ea vsus est Deus ad Mosem. ib.
- Mosis praerogatiuam constituit. ib.
- per eam conuicit Christus discipulos suos de veritate suae resurrectionis. 55
Reuelationis diuersi modi. 120. 125
- nil θεοπνευστία detrahunt. 121
- gradus iudaeorum. 115
Rex insidens Cherubinis erat verbum, quod caro factum. 18
Romani leges acceperunt ex Graecia. 145
Romanorum consuetudo damnatorum caput obnubendi. 144. sq.
Roris origo. 105
Ros Hermonis. 106
- cuius imago? 101
Ros imago virtutis diuinae viuificatricis. 80
- crasse et illepide intelligitur à iudaeis. ib.
- imago Spiritus S. 101. sq.
- index sereni diei. 110
Roth, Eberh. Rudolph. de velamine capitis. 146
Rubigo. 110

S.

Sabini Lacedaemonum coloni. 146
Sacerdos summus,
- geminam habebat vnctionem: 130
- vocatur sacerdos vnctus: 130
- est typus aeterni sacerdotis Christi. 134
- vocatur maximus fratrum suorum: 130
- in caput eius effusum oleum largissima copia. 130
Sacerdotes reliqui,
- vnguntur oleo sanguine mixto: 130

- aſperſione non effuſione. ibid.
- typus erant fidelium N. T. 135
Sacharias, Iohannis pater, θεόπνευςος pro ſuorum temporum ratione de Chriſto vaticinatus. 3.4
Sallengre nou. theſaur. antiq. roman. 164
Salomo vices et imaginem Chriſti geſſit. 18
Salomonis dignitas eadem quae Ariſtotelis apud Iudaeos. 119
Salomonis templum v. templum.
Salomo Iſaacides R. v. Iſaacides.
Salomon H. F. 164
Salus eadem fidelium V. et N. T. 36.37
Salutis ordo idem omni tempore. 124
Schechina. 14
- confertur cum graecorum σκηνή. 15
- eſt כבוד יהוה, gloria Domini. ib.
- eſt מלכות, regnum, in decem Sephiroth: 16
- reſpicit ad Meſſiae regiam maieſtatem. ib.
- templi prioris et poſterioris. 20. 21. 25.
- erat veteribus doctoribus iudaeorum Spiritus S. 122
Schelomo b. Melech. 156. 159
Sebna, praefectus palatio. 158
- ſupplicio diuino dignus. 160
Seculum. 46
Senſus externi in reuelatione maiorem virtutem habent conuincendi. 54
Senſus literalis. 125
- vnde patet? 126
- vocatur ſcriptura, γραφή. 69. 126. ſq.

Sen-

Sensus rerum altior. 125
- sine manuductione et indicio Spiritus S. non est diuinus, sed humani ingenii accommodatio. 135
- vnde eruitur? 126
- quomodo vocetur à Paulo? 69
- allegoria vocatur: 127
- typus: 126
- parabola. ibid.
Sephiroth decem. 15
Simeon vidit gloriam Dei in Christo recens nato. 28
Sionis nomine venit ecclesia. 107
Solerius, Anselmus, de Pileo. 154
Sol iustitiae. 3. 93
Sordes filiarum Sionis. 97
Speculum lucens et non lucens prophetiae gradus. 115
Spiritus ardens. 88. 90. sq. 93.
- consolator. 109
- igneus. 93
- iudicii. 88. 90
- viuificans, et vitae. 92
- Sanctitatis. 88. 90. 133
Spiritus Sanctus est antitypus olei sacri. 132. 133
- donum est à prophetia distinctum iudaeis hodiernis. 122
- est oleum laetitiae. 136
- est persona. 122
Spiritus sancti diuinitatem recte impugnant iudaei. 121
- propria. 92

- purgatio minus laeta. 98
- purificatio salutaris. ibid.
Spiritum S infimum gradum prophetiae statuunt iudaei. 116
- distinguit Kimchi à prophetia. 116
- pium mentis affectum describunt iudaei. ibid.
- vocarunt veteres iudaeorum doctores Schechinam. 122
in Spiritu esse. 54
Spurius Cassius, regnum affectat, perduellionis reus. 162
Storre, Ioh. Philipp. 68. 75
Suetonius. 167

T.

Tabernaculum V. T. imago habitationis filii Dei inter homines. 11
- arx regia regis aeterni. 18
- eius intimum adytum sanctius conclaue regis: ibid.
- idquod erant discipuli Iesu. 30
- eius vasa vngebantur oleo sacro. 131
- est typus fidelium N. T. 135
Templum Salomonis arx regia regis aeterni. 18
- prae eo templi posterioris praestantia. 20. 25
- in posteriori templo an Schechina defuerit? ibid.
Tertius dies in historiis V. T. an et vbi imaginem habeat temporis resurrectionis Christi. 68

- resurrectionis Christi ab Hosea *literaliter* praedictus. 72. 76
Testamentum nouum est dies. 4
- eius tempora fons consolationum prophetarum V. T. 82. 101
- - eorum characteres. 73. sq. 101. sq.
Testamentum vetus nox. 4
- noctis huius vigiliae earumque initium et diuisio. 5. 6
Testamenti veteris promissiones an huius tantum vitae? 36
Testes resurrectionis Christi haud infringendi. 50
Theocratica forma regiminis inter Israelitas. 18
Ticonii Afri canon. 77
Toga quomodo caput obductum? 154
Tremellius. 156. 159. et alibi
Trinitatis hostes. 112
- in eam iudaeorum machinae. 121
Turnebus. 161. 168
Typi, qui appellantur? 125
- vmbra sunt. ibid.
- illati. 129
- veri et genuini. ibid.
Typos allegandi ratio. 126
- inuestigandi ratio. 128
Typus opponitur ei, quod scriptum est. 127

V.

Vasa tabernaculi vncta. 130
- erant typus membrorum ecclesiae. 136
Veielii, Eliae, memoria Vrbani Regii. 40
Verbi Dei habitatio inter homines V. T. 11. sq.

inter

- inter homines Nou. T. multo magnificentior et magis gratiosa. 22. sq.
Verbum προφορικόν. 89
Verbum substantiale non ex Platonis schola originem traxit. 23
- Vnde Iohannes eius notitiam hausit? ibid.
- quando habitare coepit inter homines N. T. 25
- in Iesu Nazareno manifestabatur, 24.
- idque solennissimo more ad Iordanem, 30
- post, per doctrinam et miracula. ibid.
- habitauit inter discipulos in selectissima portione gentis Ebraeae. 30. 31
- clamauit et praedicauit, transeunte Iehoua ante Mosem. 33
Vigiliae noctis V. T. earum initium et diuisio. 6. 7
Visio nocturna. 54
Vitellius caesar, aperto capite et vultu ad supplicium tractus. 166
Vitringa, Campegii Obseruationes. 14. sq.
- commentar. in Iesaiam. 42. 48 158. 160 172. 174.
Viuificatio distinguitur à resurrectionis manifestatione. 44.
Vnctio est Spiritus S. 133
Vngere, si Deo tribuatur, quid significat? 134.
Vrim vethummim. 115
Vrsinus, Ioh. Henr. 146

W.

Witsius, Hermann. 18. 20. 68. 131. 133

Gebunden
bei
L.A.GÄRBE
Rostock
Breite Str. 25.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494/phys_0215
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494/phys_0216
DFG

s, inquiens, *cum*
r *eum resurrexistis*
rtutem *Dei, qui ex-*
s, *qui mortui era-*
ratis *in praeputio*
um *eo et condona-*
deleuit *in decretis*
qui *erat contra nos,*
affixit *ipsum cruci*
vetus synagoga
alis, quippe quae
temporibus in-
resurgant mor-
ae habitabilis co-
enedictum : (k)
bnegata vita spi-
fore, vt tempo-
d graecas calen-
mortuorum ho-
ant. Euenit qui-
STI monumenta
pora sanctorum,
nt, è sepulchris
egressi: (l) et
eodem mortuo-
redeunte, omnis
alii ad vitam ae-
ternam,

93.
Matth. XXVIII. 52.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1855317494/phys_0217
DFG